DE

HEBRAICAE TYPOGRAPHIAE ORIGINE AC PRIMITIIS

SEU

ANTIQUIS AC RARISSIMIS

HEBRAICORUM LIBRORUM EDITIONIBUS SECULI XV

DISQUISITIO HISTORICO-CRITICA

JOHANNIS BERNARDI DE-ROSSI

S. T. D. NEC NON PUBL. LING. ORIENT. PROFESSORIS AC VICE-PRAESIDIS FACULT. THEOLOGICAE IN REGIA PARMENSI ACADEMIA.

PARMAE

EX REGIO TYPOGRAPHEO

M. DCC. LXXXVI.

PHILOLOGO PHILEBRAEO
ATQVE ERVDITO CVILIBET RARIORIS
AC SECRETIORIS BIBLIOGRAPHIAE
CVLTORI.

Hebraicae typographiae incunabula illuſtrare aggredior, lector humaniſſime, vix hucuſque ab iis eiſdem ſcriptoribus delibata, quorum ſtudia vitaque omnis in hebraicorum librorum cognitione verſata eſt. Buxtorfium intelligo, Plantavitium, Hottingerum, Bartoloccium, Scabraeum, Chriſtophorum Wolfium, qui hebraicas vel rabbinicas bibliothecas ediderunt, quorumque auctoritati Chevillerius, le Longius, Mattairius, Orlandius, Marchandus, aliique ſi qui ſunt, videntur potiſſimum ſtetiſſe. Cujus rei ea ſane eſt praecipua ratio quod praeclariſſimi illi auctores, uno excepto Bartoloccio, extra Italiam noſtram ſcripſerint, unde luculentiora quaeque peti poterant ac debebant hujuſce generis monumenta. Hinc vix conſtitueram de hebraicis XV ſeculi edi-

tionibus absolutissime agere, quod eas primum anquirere undique magnoque mihi studio ex italis judaeorum synagogis comparare conatus sum, ut certo mihi exemplo illarum omnium, si fieri posset, ratio & fides innotesceret. Spem non fefellit eventus, brevique factum est ut non modo antiquiores omnes ac praestantiores consequerer, sed ea etiam copia consequerer ut paucissimae mihi deessent. Rarissima hac suppellectile gravissimoque praesidio fretus manum operi admovere non dubitavi, eo quidem ordine, ut primum quae auspicatissima esset hebraicae typographiae origo quique primus ejusdem foetus, investigaretur; dein vero singuli qui xv seculo ex ea prodierunt, codices pari diligentia ac brevitate recenserentur, certas ab incertis, ac veras a falsis supposititiisque editionibus accuratissime distinguentes. Pari, inquam, brevitate; ne prius fastidire haec operis volumine, quam legere inciperes. Perperam porro viderentur haec studiose a nobis quaeri, nisi de singulari etiam harum editionum praestantia, raritate & usu tamquam coronidis loco differerem selectisque confirmarem exemplis. En institutum hujusce meae qualiscunque lucubrationis quam tibi, nisi φιλαυτία me decipit, nec inutilem fore confido nec prorsus ingratam.

SERIES CAPITUM
TOTIUSQUE OPERIS CONSPECTUS.

CAPUT I.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

SERIES CHRONOLOGICA
HEBRAICARUM EDITIONUM SECULI XV.
QUAE IN HAC DISQUISITIONE
RECENSENTUR ET ILLUSTRANTUR.

Quae designantur asterisco, eae in auctoris bibliotheca reperiuntur.

EDITIONES FALSAE AC SUPPOSITITIAE

HEBR. LIBROR. SECULI XV.

DE
HEBRAICAE TYPOGRAPHIAE
ORIGINE AC PRIMITIIS.

CAPUT I.

De hebraicae typographiae origine variae judaeorum ac christianorum sententiae expenduntur. Vera origo primusque illius foetus statuitur.

Cum multa eaque praeclarissima sint hominum inventa, tum nullum est communi existimatione typographia praeclarius, nullum illustrius, qua nostra omnia quotquot sunt, posterorum aetati transmittuntur, nosque ipsi qui commorandi diversorium, non habitandi a natura habemus, ad immortalitatem nitimur. Haec una, ut rectissime asserebat Bodinus, cum omnibus omnium veterum inventis certare facile potest, digna profecto, de cujus inventione tot nobilissimae urbes certatim contendant, deque ejus origine, progressibus, auctoribus primisque conatibus splendide ac copiose disputent quamplures praestantissimi viri. Qui si tam accurate de hebraicis typis ac primigeniis hebraico-

rum librorum editionibus ſcripſiſſent, ut de latinis fecerant, vix ullum arbitrarer diſquiſitioni huic meae hiſtorico-criticae locum relinqui. Sed dolendum ſummopere eſt leviſſime provinciam hanc ab illis pertractari, certa pro incertis obtrudi, eaque quae traduntur, tot eſſe tenebris involuta, tot aberrationibus commixta, ut doctioribus etiam philologis ac bibliographis nulla ratione conſtent hebraicae typographiae primordia, ac raro prorſus antiquiſſima ejuſdem monumenta. Judaeos ne ipſos excipiam, a quibus eorum res magni Auguſtini effato exquirendae primum ſunt? At vero quis cum Abrahamo Arié hebraicos typos Jobo ac fere mundi ipſius creationi coaevos putet (*a*)? Quod non video quam luculenter colligi autumet vir judaicarum caeteroquin antiquitatum ſcientiſſimus, ex iis Jobi verbis, quibus ſermones ipſe ſuos in libro exſculpi peroptat ſtylo ferreo ac plumbeo, vel plumbi lamina, contendatque poſterioribus hiſce vocabulis, quae ex accentu ſenſuque ipſo cum prioribus conjungenda eſſe vult, typographicam artem manifeſte innui. Aliud namque eſt ferreo ſtylo ſuper plumbeis tabulis litteras exculpi, quod receptiſſimum apud veteres ſcribendi genus intelligere videtur Jobus, aliud longe characteres chalybeos incidi, tum inſculpi aere ac fundi, ex iiſque fuſis, connexis atque atramento obductis libros imprimi, in quo totum illum ſitum eſt typographiae artificium, quod omnium primi in Europa adhibuerunt Fauſtus & Guttenbergius. Hoc in impreſſione potiſſimum conſiſtit, vetuſtiſſimum illud in ſola חקיקה ſeu ſculptura, ut Jobus ipſe deſignat. Quis iterum cum rabbi Joſepho Coèn referat typographiae originem ad annum 1428, eaque aetate coeptos cum Boxhornio hebraicos typos credat, qua communi ſententia inventa adhuc non erat ars typographica? Quis demum cum Davide Ganzio clariſ-

(a) מלאכת הדפוס היתה גלויה לנו למאות ולאלפים של שנים וכמעט סמוך לבריאת עולם. *Schiltè aghibborim* fol. 183. V. *Job. XIX 23, 24.*

ſimo altero judaeorum hiſtorico, omiſſis atque ignoratis penitus tot celeberrimis editionibus quae exeunte ſeculo xv factae ſunt, tanquam primariam hebraicorum bibliorum editionem, venetam quamdam ſtatuat anni 1511 quae nunquam extitit (*a*)? Quibus accuratiora quidem ſunt, non tamen veriora quae docuit rabbi Ghedalias in scalſceled akkabbalà ſeu catena traditionis, circa annum videlicet octuageſimum xv ſeculi coepiſſe soncinates judaeos omnium primos hebraicos libros imprimere. His ſi addis, quas ſparſim in ſuo sciftè ieſcenìm vix poſt Bartoloccium delibare viſus eſt horum librorum editiones Scabtaeus, omnia habes quae in hoc genere judaeorum ſcriptores tradiderint.

Utinam noſtri ut ſunt pleniores multo, eſſent etiam perpetuo accuratiores! Neſcio ſane qua fide Buxtorfius, vir hebraica eruditione clariſſimus, anno 1613 quo rabbinicam bibliothecam edidit, conſcribere potuerit Joſephum Scaligerum hebraicam grammaticam rabbi Moſis Kimchii habuiſſe in Sicilia impreſſam ante annos centum quinquaginta duos, anno ſcilicet 1461 (*b*). Etenim ipſiſſimum exemplar quod poſſidebat Scaliger memoratque Buxtorfius, inter mſs. scaligeriana reperitur in bibliotheca lugduno-batava, diciturque in edito ejuſdem catalogo, *Moſis Kimchì grammatica, editio tertia, Ortonae in Sicilia tempore Caroli imperatoris*. Ergo ne anno 1461 quo nondum in Italiam ipſam invecta adhuc fuerat typographiae ars, in Aprutium ubi urbs illa quaerenda eſt, vel in Siciliam uſque ea penetraverat, tamque defixam illic ſedem poſuerat, ut tres eo anno reperirentur perfectae illius libri editiones? Mirum eſt quot hallucinationes, confuſis praecipue Carolis, Scriverius, Chevillerius, Heinſius, de Dieu, Buxtorfius, Wolſius aliique auctores

---

(a) דפוס הראשון לספרי הקדש ע"י דניאל בומבירגא בויניציאה היה בשנת ר"עא· *Tzemach David* fol. 43 ad an. 271.

(b) Buxtorf. *biblioth. rabb.* pag. 302 ed. Baſil. 1613.

in celeberrima hac memoranda quae apud me eſt, editione commiſerint. Eas nos capite VIII detegemus, ubi aperte demonſtrabimus tantum abeſſe ut Ortonae eo anno abſoluta ſit, ut potius ad XVI ſeculi initium ſit neceſſario referenda. Quod idem porro de editione Obadiae Sphorni or ammim ſeu lucis populorum, dicendum eſt, quam affert Beughemius tanquam Bononiae abſolutam anno 1471. Ea enim ſuppoſititia eſt perinde ac ortonenſis, ex falſa incongruaque annorum ſupputatione enata, ut commemorato ſuperius capite invicte oſtendetur. Itaque quum in poſteriorem aetatem neceſſario referendus ſit hebraicorum typorum uſus, adeo ne ſerius eum ſtatuemus, ut Aldum Manutium primum eſſe arbitremur qui eoſdem adhibuerit? Unus eſt quod ſciam, in hoc inſigni defendendo anacroniſmo Bernardus Mallincrotius (*a*), quem miror, auctorem in ortum ac progreſſum artis typographicae ſtudioſe inquirentem, tot hebraicorum librorum editiones latuiſſe quae antea prodierant. In qua re turpius adhuc peccaſſe videtur Jacobus Baſnagius non obſcurus recentioris judaeorum hiſtoriae auctor, qui primum hebraicorum librorum impreſſorem Danielem Bombergium fuiſſe docuit, tum antiquius bibliorum corpus hebraice eum excudiſſe, eodemque prorſus aevo Venetiis ac Soncini hebraicos adhiberi typos coepiſſe magna fide tradidit (*b*). Longe aliter ſentiunt auctores reliqui, qui utrumque extremum devitantes ac Ghedaliae auctoritatem ſecuti, ſoncinates ſuſpiciunt ut primos hebraeorum typographos, ac Soncinum mediolanenſis ducatus oppidulum, tanquam primariam hebraicorum typorum ſedem, ubi anno 1484 mivchar appeninim, primum eorum ſententia artis ſpecimen fuit excuſum. Haec eſt inter caeteros Bartoloccii, haec Loëſcherii, Chevillerii, Mattairii opinio. Annus hic, inquit Mattairius, meruit maxime celebra-

(a) *De ortu ac progreſſu artis typogr.* cap. XIV. V. Wolf. *monumenta typ.* tom. II pag. 734.

(b) *Hiſt. des juifs* vol. XIV pag. 879 & 885.

ri, quod tunc Soncini judaeorum typographorum italorum opera hebraei characteres lucem primum adſpexerint (*a*). Verum, reperto deinde pentateucho Bononiae impreſſo anno 1482, aliter in hac re ſentiendum eſſe ſtatuerunt cl. Maffejus atque eminentiſſimus Quirinius, hebraicae typographiae primatui quem mordicus mediolanenſi ducatui vindicabat Saxius, commemoratum pentateuchum invictiſſime objicientes.

At, dum haec diſputabant ſummi viri, non noverant celebratiſſimam editionem τῶν arbàh turim ſeu IV ordinum Jacobi ben Aſcer, quae jam ab anno 1478 Plebiſacii facta fuerat, etſi non ſolum eam memoraret Wolfius in poſtremis bibliothecae ſuae voluminibus, fuſeque deſcriberet ex duobus ordinibus, quos ſero tantum fuerat conſecutus, ſed & ea praeterea tanquam invicto argumento uteretur, ut veram hebraicae typographiae originem non a Soncino, ſed a Plebiſacio patavinae ditionis vico repetendam eſſe adverſus communem Mattairii aliorumque opinionem evinceret. Neque enim, inquit Wolfius, memini me unquam antiquius exemplum libri hebraici a judaeis editi vel vidiſſe, vel ab aliis certa fide legiſſe commemoratum (*b*). Qua Wolfii auctoritate ſat ſecure uti ſe poſſe credidit nobiliſſimus Foſcarinius, ut oſtenderet adverſus Saxium non mediolanenſi ducatui, ſed venetae ditioni decus primae hebraicae typographiae originis eſſe tribuendum, recte animadvertens plebiſacienſe illud opus tum bononienſis pentateuchi, tum ſoncinenſium omnium librorum editionem praeceſſiſſe. At vero qui dicere poterat Wolfius antiquius ſe exemplum libri hebraici non vidiſſe commemoratum, qui tum apud Bartoloccium, tum apud le Longium evidentiſſime legerat piſaurenſem ralbagiani in Jobum commentarii editionem anni 1477? Legiſſe autem ex eo certo colligitur, quod editionem hanc ex commemoratis

(a) *Annales typogr.* tom. I pag. 152 & tom. II pag. 139 ſeq.
(b) *Biblioth. hebr.* tom. III pag. 446.

auctoribus ipsemet afferat in priori operis sui volumine. Oblitus est ergo vir clarissimus, dum ea scriberet, pisaurensis hujus editionis, cujus nunquam meminit in hebraicae typographiae originibus illustrandis, aut habuit tanquam sublestae fidei aeram illam, quam testatur frustra se deinde in Oppenheimeri exemplari quaesivisse. Ex quo factum est, ut nunquam a priori sententia dimoveretur. Quae quum ita essent, non haesi dubius utri credendum esset, Bartoloccio ne, an Wolfio, qui erat recentior, qui accuratior, qui nullum se librum anno 1478 antiquiorem viderat, qui demum ipsissimam Bartoloccii editionem oculis ipse suis conspexerat absque ulla anni vel loci designatione perfectam. Eo autem vel maxime credendum, quod ejus opinionem secuti recentiores omnes ac doctiores bibliographi in vindicanda Plebisacio hebraicae typographiae origine convenirent. Quid, quod Bartoloccius ipse cujus unius auctoritate pisaurensis illa editio innitebatur, suspectam, immo suppositìtiam eam habere videretur? Etenim non solum eam omittit ac negligit, ubi hebraicae typographiae primordia illustrat, sed aperte eadem Soncino ac soncinatibus, non Pisauro ac pisaurensi rabbi Abrahamo Chaiim illius libri editori tribuit, anno 1480, non 1477 inventos primum defendit hebraicos typos, primumque eorundem tentamen non ralbagianum illum commentarium constituit, sed mivchar appeninim anno tandem editum 1484. Dum haec ipse mecum disputo quae, ut cuique patet, in dubium revocant ralbagianam illam editionem, commoda ac peroptata diu mihi objicitur illius acquirendae occasio, immo vero & acquirendi eodem fere tempore psalterii hebraici kimchiano commentario illustrati, ipsissimo etiam anno 1477, sed nonnullis post mensibus editi. Non uno itaque, sed duobus libris posteriorem certissimo mihi argumento constitit plebisaciensem illam asceriani operis editionem, cui communi post Wolfium judicio primi hucusque delati sunt hebraicae typographiae honores.

CAPUT II.

Primus qui superest, liber hebraice impressus recensetur atque illustratur.

Rabbi Levi gersonidis Commentarius in Jobum in octava, ut ajunt, forma anno judaico minoris supputationis CCXXXVII, *Christi* MCCCCLXXVII. Quum non extet, aut hucusque saltem detectus non sit liber hebraice impressus hoc gersonidis commentario antiquior, aequissimo eum nos jure tanquam primum hebraicae typographiae foetum statuendum esse arbitramur. Editio incipit statim a commentario ipso, cujus priora duo vocabula אמר רל״בג seu *Dixit Ralbag*, omittuntur, ut minio seu coloribus aqua dilutis, ut ejus aetatis mos erat, deinceps pingerentur. Characteres rabbinici sunt, valde tamen rudes ejusdemque speciei cum iis, quibus exaratus est ejusdem auctoris commentarius in legem, quem non designato anno nec loco edidit Abrahamus Conatus. Centum viginti quatuor foliis luculentaque epygraphe opus absolvitur, qua ingeniosi hujus auspicatique artificii auctor & tempus & ratio detegitur. „ Finitum est autem opus sanctum per manum Abrahami (videat ipse semen, producatque dies suos amen) filii rabbi Chaiim pisaurensis scribae velocis typographici. Perfectioque ejus contigit feria sexta quae est dies quarta mensis sivan anno CCXXXVII sexti millenarii (*a*). Benedictus qui dat defesso virtutem, „ & ei qui vires non habet, robur addit. Unicuique initio

(a) ותכל מלאכת הקדש על יד אברהם יזי״א בכר חיי׳ זלהה מפיזארו סופר מהיר דפוסי והשלמתו היה יום ו׳ ד׳ לחדש סיון רלז׳ לאלף הששי·

„ vidi finem. Ad gloriam tuam, o Domine! „ Decem haec verſus excipiunt, quibus grates omnipotenti Numini de operis abſolutione referuntur. „ Confiteamur potenti Domino, „ rupi ſalutum, forti, magnifico ac terribili ad ſalvationes. „ Amoenitas ejus dedit ſervo ſuo Abrahamo auxilium, re- „ movens offendiculum ad abſolvendum; jamque oculus meus „ totum opus perluſtrans in eo volvendo plaudit. Egreſſum „ eſt e via caliginis ad lucem. Stannum noſtrum plenum eſt „ prae mari valida ſubſtantia ac philoſophia. Deus porro „ qui dignum fecit me ut illud perficerem, circumquaque „ ad meditandum in eo cogat me, inclinetque ad neceſſa- „ riam hujuſce libri ac commentarii perſcrutationem. Contigit „ perfectio ejus anno ſupputationis quadrageſimo & nono. „ Poſterior hic annus quadrageſimus nonus de prima operis perfectione per auctorem ipſum accipiendus eſt, qui revera floruit compoſuitque commentarium hunc commemorato anno, qui in annum Chriſti incidit 1289.

Noſtram hanc editionem in pragenſi Oppenheimeri bibliotheca vidiſſe Wolfium ſupra diximus, ſed abſque ulla anni vel loci deſignatione. At mirum non eſt virum in hebraica caeteroquin bibliographia verſatiſſimum, annum non animadvertiſſe, qui in ipſa eadem quam ſubdit, epygraphe diſertiſſime legitur. Eum enim in libri fronte quaeſiverat, qua priorum illorum temporum editiones carebant. Mirabitur fortaſſe quiſpiam quod in eadem epygraphe, mem pro ſamech & zain pro vav praepoſtere accipiens, loco מפיזארו legerit כפיואדו, quae vox quid ſibi velit, ſe non aſſequi teſtatur, nec quam recte ex ea Bartoloccius *Peſaro* exſculpſerit. Etenim ipſiſſima haec recta ſane appoſitaque Bartoloccii interpretatio ſat Wolfium craſſiſſimae hallucinationis arguebat, veraeque vocabuli illius lectionis, in quo nullum prorſus extabat typographiae mendum. Verum ſi ex epygraphe conſtat annus editionis, locus certe non conſtat. Unde hallucinatus eſt commemoratus Bartoloccius ac Jacobus le Lon-

gius, qui ex ea librum revera Pisauri prodiisse conscribunt. Hi enim auctores non מפיזארו *ex Pisauro*, ut extat in textu, legisse videntur, sed בפיזארו *Pisauri*, mem cum beth confundentes. Etsi porro diserte id non adfirmetur, verosimile tamen est, ut alibi jam animadvertimus (*a*), pisaurensem typographum Pisauri librum excudisse. Equidem Abrahamum ben Chaiim locum & patriam interdum mutasse negari nequit, quum quinquennio post Bononiae pentateuchum ediderit, anno vero 1488 integrum illud hebraicorum bibliorum corpus Soncini vulgaverit, cui tanta accessit celebritas. At id perfecit, non quod Bononiae aut Soncini degeret, sed quod e pisaurensi urbe Bononiam ac Soncinum fuerit a Josepho Carvvotha atque ab Israële Nathan accitus. Quod patet luculentissime ex bononiensis ipsius pentateuchi epygraphe, in qua dicitur Josephus Carvvotha peritos undique artifices, expeditos typographos doctosque correctores quos mercede conduceret, exquisiisse, potissimum vero accersivisse peritissimum virum cui in hebraica typographia par non erat in universo orbe, virum celeberrimi nominis Abrahamum ben Chaiim ex tinctoribus regionis pisaurensis. Unde ergo accersiit Carvvotha nisi ex Pisauro, ubi publici ille fullonis munere fungebatur? Itaque vix dubitari posse arbitror, quin Abrahamus noster quinquennio ante Pisauri fuerit, ibique primum hoc feracissimi ingenii laborumque suorum specimen ediderit. Edidit porro feria VI quae in IV diem inciderat mensis sivan; unde iterum hallucinatur Bartoloccius qui posteriorem numerum in epygraphe expressum negligens, librum die VI mensis sivan excusum refert. His nihil addimus de selecto hoc χειμηλίῳ, nisi forte quod facta ms. codicis qui apud me est, anni 1326, ac recentiorum etiam

(a) *Dissert. praelim.* ad inscript. meas exotericas, quas tanto tamque incredibili typorum atque emblematum apparatu nuper in augusti principis Pedemontii nuptiis edidit cl. Bodonius, §. 8 pag. 17.

editionum collatione, multae eaeque insignes variantes lectiones deprehendantur, quodque folio LXXVI prior pagina etiam in utroque quod habeo, exemplari non reperiatur impressa. Ea autem ex una typographorum oscitantia praetervecta videtur; nec enim quicquam illic deficit ralbagiani commentarii.

CAPUT III.

De ceteris hebraicorum librorum editionibus ab hebraicae typographiae origine usque ad annum MCCCCLXXX.

I. *Psalterium hebraicum cum commentario Kimchii in-quarto eodem anno minoris judaeorum supputationis* CCXXXVII, *Christi* MCCCCLXXVII. Alter hic est hebraicae typographiae foetus, paucis tantum mensibus gersonidis commentario recentior. Hic enim editus est, ut supra animadvertimus, die IV mensis sivan, sub finem videlicet mensis maii anni 237, psalmi autem editi sunt die XX elul, scilicet sub initium mensis septembris. De antiquissima porro hac extremaeque raritatis editione altum est apud bibliographos silentium, primusque eam memorat clarissimus Kennicott in novo absolutissimae suae hebraici textus editionis programmate quod edidit die XVI decembris anno 1772, ubi illi merito inter biblicas editiones principatus honorem detulit. Ita autem comparata est, ut unicuique versiculo hebraici psalmorum contextus kimchianus commentarius subjiciatur. Ille quidem absque punctis (IV prioribus psalmis exceptis quibus ineleganter haec apposita sunt) & charactere quadratus, sed formae po-

tius germanicae, ut germanicam characterum formam ob oculos habuisse typographus videatur. Typi vero commentarii rabbinici sunt aut ad rabbinicos saltem propius accedentes, factaque collatione iidem videntur cum iis, quibus impressum est thargum ac commentarius Rascì in pentateucho bononiensi. Ad editionem ipsam quod attinet, ea est posterioribus omnibus quae in infinitum propemodum excreverunt, absolutior, ea omnia continens integra quae Christo christianaeque religioni adversantur, in reliquis omnibus, una excepta neapolitana, summo studio resecata. Non ita porro neapolitanam excipio, ut multo plenior in plurimis locis haberi haec nostra non debeat. Exemplum habes luculentissimum in commentario in psalmum cxx 5, ubi non modo integra habetur in hac interpretatio Mescech de Cedar quae in altera illa omittitur, sed & proposita interpretatione de filiis Japhet, post verba illa gorionidis *ipsi sunt Etruriae incolae* vel itali, subditur christianae hos esse religionis cultores, & memorari Mescech propter regnum Edom, eo quod Roma sit Etruriae vel Italiae munimen. Quae in neapolitana desiderantur, in qua proinde non duo deinceps regna, sed regna universim innui a Davide dicuntur, sub quibus captivi detinentur israëlitae. Verum de his in postremo nos capite brevissime differemus, ubi de harum editionum usu. Ibi totam potius nostrae hujus quam possidemus, editionis epygraphem subjicimus, ex qua absolutissima haberi potest ejusdem notio. Ea autem partim poësi, partim soluta oratione exhibetur. Duodecim quidem versibus haec comprehenduntur. „ Tempore perfectionis artis typographicae, quo nempe in typographia mea literae ordine „ efformatae sunt, artis hujus subsidio reperta sunt tercenta „ exemplaria pulcherrima psalmorum cum expositione Kimchii, quae oculis illa intuentium excellentia visa sunt, „ splendueruntque tanquam saphiri. Quamobrem cum accincto fortitudine gloriati sumus in cantu & in voce psalte-

„ rii, & in cantico omnium poëtarum, quia dignos nos fe-
„ cit meditari in iis, nos & omnes filios populi noſtri in ſe-
„ culum seculi & in omnes generationes. Diſcere & doce-
„ re, cuſtodire & facere, & confirmare omne quod ſcri-
„ ptum eſt in illis, dignos faciat nos conditor omnium crea-
„ turarum. „ Haec oratione ſoluta ſequuntur. „ Et ſit amoe-
„ nitas Domini Dei excelſi, & opus manuum noſtrarum
„ dirigat ſuper nos. Deus miſereatur noſtri & benedicat
„ nobis. Splendere faciat vultum ſuum nobiſcum in opere
„ manuum noſtrarum, quia fortunavit nos in omni extenſio-
„ ne manuum noſtrarum a principio noſtro uſque ad finem
„ noſtrum. Die XX menſis elul anno 237 completum fuit
„ opus noſtrum (*a*). Deus qui rupes eſt ac fortitudo no-
„ ſtra, acceleret redemptorem noſtrum cito in diebus no-
„ ſtris. Sic enixe rogant artis hujus factores magiſter Joſeph
„ & filius ejus Chaiim Mordachai & Ezechias Montro. „

II. *R. Jacob ben Aſcèr Arbàh turim ſeu* IV *ordines in folio Plebiſacii anno* CCXXXVIII, *Chriſti* MCCCCLXXVIII. En operis quod completum ſiſtit recentiorum judaeorum rituum ſiſtema, celeberrimam editionem, quam hebraicarum omnium principem Wolfius ac poſt Wolfium Foſcarinius aliique, ut ſuperius monuimus, arbitrati ſunt. Fuſius eam ex duobus poſtremis ordinibus, quos recenter ex bibliotheca ungeriana fuerat conſecutus, deſcripſit Wolfius in III ſuae bibliothecae volumine, ubi integram etiam retulit epygraphem quae legitur ſub finem IV ordinis ſeu choſcen mispàth. Ibi enim dicitur (*b*)
„ abſolutum opus hoc divini cultus feria II die XXVIII
„ menſis tamuz, quarti videlicet menſis anni 5238 re-
„ ceptae ſupputationis Plebiſacii in domo rabbi Meſcullàm

(a) בעשרים יום בחדש אלול בשנת ר״לז נגמרה פעולתינו ·

(b) והכל מלאכת עבודת הקודש ביום שיני עשרים ושמנה להדש תמוז הוא ההדש הרביעי המשת אלפים ור״לח למספר קבועי בפייביא דישקו בבית מה״ר משלם המכונה קוזי יבורך מעתה ועד עולם:

„ cognomine Kozì qui benedictus ſit ex nunc & uſque in „ ſeculum „ . Luculentum extat hujus editionis exemplar in bibliotheca regia pariſienſi, ac membranaceum alterum in taurinenſi. Etenim codex quem tanquam ms. in edito mss. codicum taurinenſium catalogo (*a*) deſcribit clariſſimus Paſinius, eſt plebiſacienſis haec noſtra editio typis exarata, quam extare revera in ea bibliotheca ex notitia quam ex abbate Bencini acceperat, Wolfius olim ipſe monuerat. Porro non in hoc ſolum erravit doctiſſimus ille taurinensis bibliothecae praefectus, ſed & in deſignando anno & loco. Legit enim literam he pro litera chet, in quem errorem lapſus etiam jam fuerat Moſes Chaghis, unde & annum codicis refert in annum 5235, Chriſti 1475, qui referendus eſt in annum quinti millenarii 238, Chriſti 1478. Locum autem Ticinum interpretatur, propterea quod illud בפ״יב׳א quod de *Pieve* ſeu Plebiſacio rectiſſime Wolfius aliique interpretati ſunt, neglectis duabus quae ſequuntur, dictionibus די שקו *di Sacco*, de *Pavia* ſeu Ticino acceperit. Poſt commemoratam epygraphem decem obſcuriores verſus reperiuntur in typographiae laudem conſcripti, quos quum nullus unquam noſtrorum auctorum attulerit, latine hic ex IV ordine quem recentiſſime ſumus adſequuti, exhibebimus. „ Ego ſapientia omni ſapientiae corona. Ego abſconditum omnibus „ ſecretum pando. Abſque calamo ac delineatione cognoſcor, „ & abſque ullo ſcriba componor in compoſitione. Una „ vice papyrus ſuper me tranſit, & abſque ulla regula dictio dirigitur. Magna eſt admiratio ſuper ſermone, qui „ virga ſcribarum diſponitur. At vero ſi videt me in „ effoſſione, ſuper caput ejus ponor in coronam „. Character eſt quadratus minuſculus, ſat luculentus ac pro illorum temporum ratione recte efformatus. Praeter Mar-

(a) Tom. I pag. 2 cod. V. *Id etiam humaniſſime mihi literis ſuis nuperrime confirmavit hac de re a me conſultus eruditiſſimus Berta Paſinii ſucceſſor.*

chandum & Albritium qui editionem hanc viderat apud Wolfium, eam ex notitia, ut puto, Foscarinii in epistola ad Andream Quirinium senatorem venetum suumque nepotem memorat eminentissimus Quirinius, sed non allato libri titulo. Memorat & David Clemens in curiosa rariorum librorum bibliotheca (*a*), ubi jure illi ac merito extremae raritatis notam attribuit.

CAPUT IV.

De libris hebraice impressis ab anno MCCCCLXXX *usque ad annum* MCCCCLXXXV.

I. *Rabbi Jacob ben Ascer Arbàh turim seu* IV *ordines Soncini anno* CCXLI, *Christi* MCCCCLXXXI. Haec editio unius hucusque Bartoloccii auctoritate fulcitur, qui loquens de asceriano opere, illud Soncini a Gersonis progenitoribus excusum asserit (*b*), commemorato anno sed non commemorata editionis forma. Plebisaciensis editionis quae est antiquior, nonnulla tum in publicis principum, tum in privatis christianorum ac judaeorum bibliothecis supersunt exemplaria; at vero soncinensis hujus nullum prorsus exemplar extat, aut extare ullibi dicitur, ac Wolfius qui eam affert, unam is Bartoloccii fidem sequitur. Bartoloccium porro ipsum eam non vidisse, atque alterius in hac re fidei ac testimonio stetisse ex eo vel maxime evincitur, quod vix eam memoret, quod edi-

(a) *Bibliotheque curieuse des livres rares* tom. II pag. 158. V. & *Leipziger gelehrte zeitungen* 1727 pag. 1049.
(b) *Biblioth. rabbinica* vol. III pag. 839.

tionis formam non referat, quod editores ipſos soncinates non nominet, quod nullam denique bibliothecam producat, in qua aſſervetur. Fanenſis autem editio anni 1516 quam Bartoloccius deſcribit, quaeque certiſſime extat, dicitur editio 11, quae, ſi vera eſſet haec noſtra, dicenda fuiſſet italarum editionum tertia, quum de plebiſacienſi nullus ſit ambigendi locus. Itaque Fani, ſeu in Italia ipſa paullo poſt ſtatutam epocham ſoncinenſis haec editio ignorabatur. Scio equidem Wolfium in earum quinque editionum numerum quae conſtantipolitanam anni 1545 praeceſſerunt, noſtram hanc referre, ac ſi neceſſaria prorſus eſſet ad illius ſummae complementum; ſub illius enim initium manifeſtiſſime editio ששית ſeu ſexta appellatur. At vero id neceſſarium non eſt, quum pragenſis anni 1540 a Wolfio omittatur quae noſtrae hujus locum tenere poteſt, atque alia inſuper extet, ſi ipſi credimus, Conſtantinopoli etiam abſque anno & loco concinnata quae priorem illam videtur anteceſſiſſe, ut ignotiſſimam illam primi ordinis editionem anni 1485 praetermittamus paullo infra afferendam. Atque haec non eo dicimus quod ſuppoſititiam abſolute ſoncinenſem hanc editionem exiſtimemus, ſed ut dubia ſaltem atque incerta habeatur, donec aliquod detegatur exemplar quo omnis ſuſpicio evaneſcat certoque de illius exiſtentia conſtet. Hanc certe editionem ſi cognoviſſet clariſſimus Saxius, ea tanquam invicto argumento uſus fuiſſet, ut hebraicae typographiae principatum Soncino deberi adverſus Maffejum & Quirinium oſtenderet, qui huic primatui bononienſem pentateuchum objiciebant. Hoc enim pentateucho qui uno anno poſterior eſt, tenaciſſimum illum ac ſtrenuum patrii decoris defenſorem adeo urſerunt doctiſſimi viri, ut illud unum quod reponeret, habuerit effugium, non agi controverſiam de anno quo primum adhiberi coeperint hebraici characteres, ſed de loco in quo primum fuerint inventi, quod poſterius tantum ipſe de Soncino defenderat.

II. *Pentateuchus hebraicus cum punctis & cum paraphrasi chaldaica & commentario rabbi Salomonis Jarchi in folio Bononiae anno* CCXLII, *Christi* MCCCCLXXXII. Praestantissimam hanc rarissimamque pentateuchi editionem, cujus bina apud me extant membranacea exempla, illustriores ipsi harum rerum scriptores Bartoloccius, le Longius, Mattairius, Wolfius penitus ignorarunt, primusque omnium eam detexit doctissimus marchio Scipio Maffejus qui perbrevem, sed accuratam illius notitiam exhibet in Verona illustrata. Pluribus deinde Saxii & Quirinii disquisitionibus ac disputationibus locum dedit, quin alteruter ullum exemplar viderit, ne maffejanum ipsum quod Veronae servabatur. Etenim quum pro hebraicae typographiae principatu soncino ac mediolanensi ducatui afferendo pro aris & focis dimicaret Saxius, argumentum quod ex bononiensi nostro pentateucho validissime petebatur, non dissimulavit. Quamvis gratuler, inquiebat ipse, eruditissimo viro (Maffeio nempe) de hac nova typographica merce in lucem educta, minime tamen dimoveor a concepta sententia. Cum enim scriptores omnes constanter afferant Soncini enatam dimissamque per Italiam & Germaniam hebraicam typographiam, nec ullus editioni bononiensi subscriptus opifex a marchione Maphaeo proferatur, perspicue quisquis intelliget non ex alia officina quam soncinate repetendum esse typographum qui Bononiae eo anno memoratum librum excudit (a). Quod quum non tanti esse roboris arbitraretur eminentissimus Quirinius, ut actum censeri deberet de eo principatu quem Maffejus bononiensi pentateucho vindicabat, iterum in responsione ad eundem Quirinium reponit Saxius praemissos fuisse Bononiam e gremio judaeorum soncinatum opifices, qui in urbe illa primos conatus exererent. In quibus quam crasse hallucinaretur, vidisset sane vir pristinae opinionis tenacissimus, si editio-

(a) *Histor. typogr. literar. mediol.* apud Argelat. tom. III proleg. c. I p. 78.

nem ipſam conſuluiſſet, in qua non soncinas, ut ſtatim videbimus, ſed piſaurenſis typographus memoratur. Sub eo ne porro nomine memoratur, quo eum nobis exhibet doctiſſimus pater Fabricy (*a*), qui omnium poſtremus ac ceteris etiam accuratius editionem hanc noſtram deſcripſit? Quum mutilo is forte, aut non ſat ſervato in epygraphe exemplari uteretur, loco מישטרה אברם *meiſtra Abram* legit בסטלה ינערם *Miſtella Jenaram*, effecitque omnium obſcuriſſimi nominis hebraeum typographum qui erat omnium celeberrimus. Paullo ante noſtram hanc editionem memoraverat clariſſimus Kennicott in eo hebraicorum codicum collationis ſtatu, quem anno 1767 edidit, ubi principem illi inter editiones hebraeo-biblicas locum aſſignat. Verum quum poſtea editionem pſalterii anni 1477 detegiſſet, principatus honorem huic ipſi pſalterio reſtituit. Praeter exemplar veronenſe ac bina mea ſupra commemorata, nonnulla alia pretioſi hujus cimelii exemplaria extant. Extat ſcilicet etiam in bibliotheca ducis Margravii Baden-Durlac & cardinalis Zelada, in caſanatenſi, item in mutinenſi ateſtina, ut monet clariſſimus Tiraboſchius in VI quod recentiſſime prodiit, ſuae italicae literaturae hiſtoriae volumine, ubi Maffeii ac Foſcarinii auctoritatem ſecutus vir eruditiſſimus, ſat certo ſe tantorum virorum fide adfirmare poſſe credidit antiquiorem librum hebraice excuſum eſſe noſtrum hunc pentateuchum, qui eſt relatis hucuſque libris recentior (*b*). Haec autem eſt editionis ratio. Hebraicus primum contextus quadratis iiſque majoribus literis cum punctis & accentibus exhibetur. Proxime adhaeret rabbinico charactere exiliori chaldaica paraphraſis Onkeloſi, ſupra vero atque infra totam iiſdem prorſus rabbinicis typis paginam implet raſcianus commentarius. Prolixa ſub libri finem legitur rabbi Joſephi Chaiim

(a) *Titres primitifs de la révélation* tom. II pag. 388 in notis.
(b) *Storia della letteratura italiana* tom. VI pag. 128.

ben Aaron argentoratenſis epygraphe, ubi accuratiſſime ſe divinum hoc opus correxiſſe aſſerit quod ſuis impenſis, conquiſitis undique ac mercede conductis peritis artificibus, expeditis typographis, doctis correctoribus, accito praeſertim celebratiſſimo in ea arte viro Abramo ben Chaiim piſaurenſi tinctore, edendum ſuſceperat ſapiens atque intelligens princeps Joſephus ben Abraham Karvvotha. Quibus praemiſſis dicitur „ abſolutum opus hoc perfectum feria VI „ die V menſis adar primi anno 242 a creatione mundi ibi „ Bononiae (a). Felix quicumque acquirit exemplar aliquod „ hujus libri; beatus praedicabitur poſſeſſor. Corrector porro ejuſdem videat ſemen, prolunget dies, & voluntas Domini in manu ejus proſperetur, & vita & pax ſit ſuper „ Iſrael. Amen.

III. *Mivchar appeninim ſeu delectus margaritarum cum difuſo anonymi commentario in-quarto Soncini anno* CCXLIV, *Chriſti* MCCCCLXXXIV. Magnae celebritatis eſt opuſculum hoc a nonnullis rabbi Salomoni ben Gavirol, ab aliis rabbi Jadajae appeninì tributum, quod ſelectiſſima veterum ſapientum apophtegmata, ſententias, praecepta complectitur, pleraque a Druſio, a Plantavitio, ab Erberto latinitate donata. At majoris adhuc celebritatis videtur eſſe iſthaec commemorati operis editio, quam haud ita pridem tanquam hebraicarum omnium primam primumque hebraicae typographiae tentamen eruditi omnes ſuſpexerunt, Bartoloccii, Chevillerii, Mattairii aliorumque veſtigia ſecuti. In qua quidem re quantum hallucinati ſint clariſſimi viri, ex hucuſque deſcriptis libris luculentiſſime conſtat, quorum quatuor nos ipſi poſſidemus certa anni deſignatione priores. Attamen quum de soncinenſi arbàh turim editione anni 1481 certo non conſtet, hic tanquam primus celeberrimorum soncinatum foetus haben-

(a) ונשלמה המלאכה התמימה ביום ששי בחמשה ימים לירח אדר הראשון שנת חמשת אלפים ומאתים וארבעים ושתים לבריאת עולם פה בולונייא·

dus eſt, typorum forma omnibus quotquot hucuſque vidimus, elegantior. Duplex vero extat character, alter quadratus primigenii operis contextus, rabbinicus alter fuſioris qui ei ſubditur, commentarii. Sub finem libri qui quinquaginta octo folia complectitur, prolixa extat editoris Scelomò ben Peretz Bonſani galli epygraphe, in qua expoſitis primum libri laudibus, quem aſſerit iſmaëlitica lingua compoſitum, a ſapientibus autem ſuae legis translatum & illuſtratum, ita ſubdit. „ Jam vero audiit Joſue princeps & „ nobilis filius rabbi Iſraëlis Nathan, vir soncinas, vocem „ dulcedinis ſermonum ejus, & amoenitatem & optimam „ illius conſtitutionem perfectionemque prae omnibus com- „ poſitionibus pulchris, omnemque populum eſurientem ac „ ſitientem bibere cum ſiti verba & diſciplinas ejus, prae- „ cepitque pueris ſuis dicens: introite portas ejus (libri „ nempe qui totus in portas diſtributus eſt), confitentes „ Domino qui eſt vexillum meum, & ſcribite eum in ty- „ pographia mea, ut per eam augeatur affluentia & terra „ impleatur cognitione. Mihi autem praecepit ut illius „ exemplaria, in quibus ulla adeſſet imperfectio, recte ac- „ curateque corrigerem .... Ad vos porro, o principes, „ vocem meam extollam. Audite quaeſo qui docetis juſti- „ tiam, judicium & rectitudinem. Venite iam, o fortes, „ aperite portas & ſuſcipite inſtitutionem ejus, quoniam „ melior eſt merx ejus merce argenti & mivchàr appeninim „ ſeu delectu margaritarum. A Deo autem qui eſt rupes „ mea, lumen meum ac ſalus mea, qui paſcit me quan- „ diu ſum, eſtque ſcutum circum me, tremendus ac for- „ midabilis, petam die hac (VII menſis ſcabat), ut in „ virga oris ſui anno 244 (a) exurgere faciat, excitetque „ aurem ad audiendum &c, Salomon ben rabbi Peretz Bon-

(a) השתלה ביום הז"ה בשב"ט פין שנת רד"ם.

„ fani gallus (servet eum rupes ejus ac redemptor ejus) „. Itaque libellus non per filios rabbi Josuae ben Israel Nathan, ut scribit Wolfius, sed per Josuam ipsum editus est, opera tamen puerorum suorum, videlicet opificum qui illius typographiae inserviebant. Editio haec quam possidemus, quamque praeter commemoratos superius auctores memorant etiam Orlandius, Groddeckius, Arisius aliique, servatur quoque in bibliotheca regia parisiensi, ut ex impresso ejusdem catalogo constat, eademque prorsus est cum antiqua illa in quarto, in qua Josuam soncinatem commemorari sua jam aetate rabbi Ghedalias monuerat (*a*).

IV. *Tractatus talmudicus Berachod sive de benedictionibus cum commentario rasci & tosafod & piskè tosafod, & commentario maimonidis in miscnam in folio Soncini anno* CCXLIV, *Christi* MCCCCLXXXIV. Nihil hucusque de talmude prodierat, vastissimo notissimoque opere quod jus omne judaicum sive civile, sive canonicum complectitur. Soncinates typographi qui ceteros ingenio atque artis praestantia vicerant, vicerunt & animo, illudque edere cogitarunt selectissimis commentariis atque animadversionibus illustratum. Luculentissimum itaque susceptae gravissimae provinciae specimen dederunt in primo ipso tractatu primi ordinis excudendo, qui berachod appellatur, propterea quod de benedictionibus agat. Editio cujus nitidissimum membranaceum exemplar prae manibus habeo, incipit a prima tractatus dictione majusculis literis ligneoque ornatu stipatis exarata. Textus gemarae qui medium locum occupat, charactere quadrato est excusus. Hinc inde binis conspiciuntur columnis distincti duo commentarii rascì ac tosafod minoribus ac rabbinicis typis. Sequuntur piskè tosafod, commentarius Mordachai ac tandem commentarius maimonidis in miscnàm. Sub libri finem longiores duae

(a) *Sculsceled akkabbalà* pag. 61.

occurrunt epygraphes. In priori Josuas Salomon filius sapientis rabbi Israëlis Nathan soncinas, post peractas Deo grates de hujus operis perfectione, illud se absolvisse testatur „ hic Soncini die xx mensis teveth anno CCXLIV mino„ ris supputationis (*a*) „. Deinde exorat eum cujus beneficio absolutus est hic liber, ut dignum eum faciat benignitate sua imprimere etiam ceteros talmudis tractatus eo ordine eaque perfectione, qua editus est iste. Elapsis autem XVI versibus intermediis priori illi altera succedit diffusior Gabrielis cujusdam ben Aaron argentoratensis epygraphe, qua optimum exponit commendatque sapientis perfecti divinique viri rabbi Israëlis ben Samuelis Nathan consilium „ qui „ vocavit sapientem rabbi Josuam Salomonem inhabitantem „ urbem Soncini quae est in provincia Galliae cisalpinae, „ eique praecepit ut aedificaret aedificium mundi, extolle„ ret cornua sapientiae, imprimeretque typographiae ope „ libros, in quibus duo haec emolumenta apertissime habe„ bantur, unum quidem quod multiplicarentur exemplaria, „ donec impleretur terra cognitione, alterum vero quod „ nunquam eorum pretium ad mss. pretium ascenderet „. Subdit porro Gabriel domum se Josuam ut haec audiit, contulisse, atque ab hoc tractatu opus fuisse auspicatum, in quo nullum ipse ne minimum quidem mendum reperit. Absolvit autem epygraphem valere lectorem jubens pro describentis animo „ die VI mensis adar primi anno CCXLIV „ minoris supputationis (*b*) „. Nostram hanc editionem memorat Bartoloccius, eamque reperiri testatur in bibliotheca vaticana inter codices hebraicos impressos Soncini excusam anno הגמרא 249, Christi 1489 (*c*). Sed mendosam hanc

(a) ושייתתיה פה עיר שונצין היום עשרים לחדש טבת שנת גמרא לפ"ק

(b) יום ששי לחדש אדר ראשון שנת רמ"ד לפ"ק ·

(c) *Bibliotheca rabbinica* tom. III pag. 762 V. Wolf. tom. II pag. 910.

annorum enumerationem quam Chevillerius & Mattairius ſequuti ſunt, jam animadvertit Wolfius, ex eo enatam quod Bartoloccius in ſimbolica ea voce ſupputanda literae he rationem habuerit, quam cum ſcabtaeo rectius ipſe putat ex recepto more omittendam. Falluntur tamen utrique, dum in ea legenda literula conveniunt quae manifeſtiſſime in commemorato illo vocabulo in noſtra hac editione non reperitur, ac perperam idcirco diſputat Wolfius, ſit ne ea ſupputanda, nec ne, quam conſulto Oppenheimeri exemplari dignoſcere certo poterat ex una Bartoloccii indiligentia repetendam eſſe. In eo etiam hallucinatus mihi olim videbatur Bartoloccius quod aſſereret non unum, ſed duos codices talmudicos berachod & betzà eo ipſo anno Soncini fuiſſe excuſos. Etenim nec in Oppenheimeri exemplari, nec in perfectiſſimo quod habebam ob oculos, adjectus conſpiciebatur poſterior hic codex, nec ulla in fuſioribus illis epygraphibus ejus ſit mentio, nec demum intelligitur, quare a primo tractatu ordinis zeraim ad ſeptimum ordinis II moèd progreſſi fuerint soncinates, reliquiſque praetermiſſis intermediis, eum ſelegerint quem cum tractatu de benedictionibus conjungerent. Sed collato vaticano exemplari, quod eruditiſſimi Amadutii clariſſimique Conſtantii opera factum eſt, certior nuperrime ab iiſdem factus ſum eum tractatum betzà illic revera reperiri adjectum.

V. *Rabbi Jedaiae appeninì Bechinad olam ſeu examen mundi cum anonymi commentario in-quarto minori Soncini anno* CCXLV, *Chriſti* MCCCCLXXXV. Qui ſcit quam perpolito atque eleganti orationis genere ſeculi vanitatem nobis exhibeat hoc opuſculum, viamque commonſtret ſectandi vitam beatiorem, qui ſcit quam dignum Philippo Aquinati, Uchtmanno aliiſque praeſtantiſſimis viris viſum eſt quod collatis ſtudiis in latinum ſermonem converterent, non mirabitur is, quod inter prima prorſus artis ſuae ſpecimina primoſque conatus praeclariſſimum ei locum dederint soncinates typographi. Ad

editionem ipſam quod ſpectat quam vix memorare videntur Bartoloccius, Scabtaeus, Mattairius, Wolfius, quaeque apud me extat, foliis ea conſtat viginti incipitque his verbis: „ epiſtola quam compoſuit ſapiens magnus ac poë„ ta badreſcita Anbonet Abram, dicta bechinad olam ſeu „ probatio mundi „. Textus epiſtolae charactere quadratus eſt, rabbinicus commentarius qui illum comitatur. Ad calcem haec reperiuntur. „ Ibi autem abſolvit (auctor) verba „ ſua pretioſiora auro ſelectiſſimo. Id decantant poma au„ rea in figuris argenteis, quibus nullum eſt pretium. Be„ nedictus miſericors qui adjuvit nos; hic Soncini die XXIV „ menſis caslev anno CCXLV (*a*).

VI. *Rabbi Jacob ben Aſcèr Sefer orach chaiim ſive liber semitae vitae in folio anno* CCXLV, *Chriſti* MCCCCLXXXV. Liber hic ita inſcriptus, eſt primus ordo ſeorſim editus τῶν arbàh turim hebraeis ac chriſtianis etiam philologis notiſſimus. At editio haec quam recentiſſime nacti ſumus, tantae raritatis eſt tamque incognita, ut nulla hucuſque ab ullo ſive judaeo ſive chriſtiano bibliographo facta ſit mentio. Character operis, ſi unos ſingularum conſtitutionum ac capitum titulos demis qui quadratis literis majuſculis exhibentur, eſt rabbinicus hiſpanus, ſive hiſpanorum atque orientalium iudaeorum more inflexus, idemque prorſus cum eo, quo Ulyſſipone paucis poſt annis exaratus eſt nachmanidis commentarius ac liber avudraham. Idem eſt etiam quadratus character quo ſingulae inchoantur ſectiones ac capita, eadem charta, ut dubitari non poſſe credam, quin Ulyſſipone quoque opus hoc noſtrum prodierit, ſitque omnium primus liber in Luſitania vel Hiſpania impreſſus. Folia 98 complectitur, ſub quorum finem perfectum atque abſolutum eſſe librum monetur, laudemque Creatori mundi tribuendam. Tum prolixum

(a) ברוך רחמנא דסייען פה שונצינו כד כסליו רמה ·

ſubditur xxx verſuum carmen quod latine hic ſubjicimus.
„ Dilecti Deo qui ei placetis, ſumite vobis partem de ple-
„ nitudine deſideriorum. Egredimini in occurſum magni ex-
„ cellentia & gloria, recipientes libros ejus puros. Videte
„ librum qui eſt arbor vitae, cujus fructus comedentibus
„ eum, eſt animae eorum lumen & vita. Titulus ejus ſat
„ indicat ejus praeſtantiam & rectitudinem; ideo appellatum
„ eſt nomen ejus orach chaiim ſeu ſemita vitae. Ipſe im-
„ preſſus eſt impreſſione eleganti & magnifica, cujus pul-
„ chritudo & perfectio per ſe patent .... Exaratus autem
„ per manus ſapientis inter artifices, cui ſimilis non eſt in
„ univerſa terra & in inſulis, cujus opus notum eſt in ob-
„ ſignatione & cujus lineae ante nos ſunt extenſae. Abſo-
„ lutus eſt porro anno CCXLV menſe elul, cui anno quin-
„ que ſuperadduntur millenaria (*a*). Deus qui adjuvit nos
„ ut eum exararemus, ponat nos coronam gratiae gentibus,
„ noſque in beneplacito ſuo vivificet, ſimuſque dilecti Deo
„ & ii qui ipſi placent „.

CAPUT V.

Annales typographici hebraici ab anno MCCCCLXXXV ad annum MCCCCXC.

I. *Prophetae priores, ſcilicet Joſue, judices, libri Samuelis ac regum cum commentario Kimchii in folio Soncini anno* CCXLVI, *Chriſti* MCCCCLXXXVI. Sacri bibliorum codicis nihil hucuſque praeter pſalterium ac pentateuchum excuſum fuerat. Priores ergo prophetas qui primi poſt Moſis libros veniunt, cum

(a) ונשלם בשנת רמ״ה באלול וחמשה אלף עליו ירויים .

Kimchii commentario luculenter hoc anno imprimere aggresſi ſunt soncinates. Bartoloccium latuit praeclariſſima haec editio, at non latuit le Longium, Chevillerium, Mattairium, Wolfium, Orlandium, atque e recentioribus Kennicottum ac Fabricy, qui breviter quidem, ſed ſat accurate de ea loquuntur, niſi quod in Kennicotti ſtatu collationis anni 1767, atque in gallicis eruditorum ephemeridibus ſtatuatur annus editionis 1484 pro 1486, in le Longii vero bibliotheca pro prima hebraicorum bibliorum editione venditetur. Character ſacri textus quadratus eſt abſque punctis, rabbinicus autem alter commentarii kimchiani qui textui adhaeret. Incipit opus verſa folii pagina a Kimchii praefatione. Eam primum Joſue caput conſequitur, cujus prima dictio ויהי elaboratiſſima lignea tabula comprehenditur, qua rurſus inchoantur libri judicum ac Samuelis. Vox והמלך, qua incipit liber primus regum, iiſdem majuſculis ligneiſque literis repraeſentatur, ſed nullo alio circumpoſito ornatu, propterea-quod duae poſtremae literae lineam praetergrederentur. Totum opus 166 folia complectitur, in quorum poſtremo quaedam occurrit typographi admonitio, cujus ſumma haec eſt. Quum priores prophetae Moſem ſequantur, & legem ipſam moſaicam quaſi repetant, ſintque traditionis cuſtodes (ii enim ſunt qui eam a Moſe receperunt), ac proinde poſt pentateuchum neceſſariſſimi, viſum eſt typographo eos excudere cum celebratiſſima Kimchii expoſitione. Cujus praeſtantia cum omnibus nota ſit, hinc de ſola libri correctione locuturum ſe ibi teſtatur quam maximam eſſe contendit, non tamen ejuſmodi ut ex affinibus praecipue literis una aliquando pro alia non ſumatur. Eam tamen mss. ipſis codicibus correctiorem defendit, quorum multa eaque optima ac correctiſſima exemplaria ad manus ſe habuiſſe aſſerit. Reddit etiam rationem, cur ineffabile Dei nomen aliis literis impreſſerit, ſicque verba ſua concludit. „ Fuit itaque „ libri hujus complementum anno MMMMMCCXLVI a creatio-

d

„ ne mundi die VI mensis marchesvan, hic Soncini in provincia Galliae cisalpinae, quae est sub ditione domini potentis ducis Mediolani quem Dominus in vita servet ac fortificet (*a*). Benedictus qui dat defesso robur, & in quo vires non sunt, virtutem multiplicat. Extollatur nomen ejus super omni benedictione & laude „. Clarissimus Fabricy qui hanc epygraphem affert, legit הוא תחת ממשלת, ac proinde de Soncino interpretans, vertit *quod est sub ditione ducis mediolanensis*. At vero in textu habetur manifestissime היא quod est ad provinciam ipsam referendum.

II. *Prophetae posteriores, scilicet Isaias, Jeremias, Ezechiel & XII minores cum commentario Kimchii in folio Soncini eodem anno* CCXLVI, *Christi* MCCCCLXXXVI. Vix excusis prioribus prophetis, ad posteriores statim animum & operam converterunt soncinates. Annus quidem deest & locus, sed ita conveniunt forma, charta, charactere tum quadrato, tum rabbinico, in omnibus uno verbo posteriores hi cum prioribus, ut alios aliis successisse nullus sit ambigendi locus. Nec sane ambigunt illustriores bibliographi, qui epocham utriusque editionis cujus duplex apud me extat exemplar, in eundem annum 246 summa consensione referunt. In hac porro editione quae biscentum ac nonaginta duobus foliis constat, integra prorsus reperiuntur sexcenta kimchiani commentarii loca de Christo, de Edom & Roma ac de christianis, quae in recentioribus omnibus editionibus omissa sunt. Nonnulla nos postremo capite attingemus.

III. *R. Josephi Albo Sefer ikkarim seu liber fundamentorum in folio Soncini anno* CCXLVI, *Christi* MCCCCLXXXVI. Soncinensem hanc editionem notissimi operis, cujus scopus est judaicae religionis articulos illustrare ac vindicare, Barto-

(a) ואלם היתה השלמתו בשנת חמשת אלפים ומאתים וששה וארבעים לבריאת עולם ביום ששה לחדש מרחשון פה שונצינו במדינת לומברדי"אה אשר היא תחת ממשלת האדון האביר דוכוס מי"לאנו ·

loccius, Chevillerius, Mattairius, Labbaeus, Wolfius, Marchandus memorant. Memorat & Orlandius in ſua typographiae origine ac progreſſu, ſed duo confundit (*a*). Primo quidem librum hunc cum ejus commentario, unde illum ſub arboris plantatae titulo nominat. Deinde vero confundit & annum ariminenſis editionis cum anno soncinenſis; hinc illam anno 1486 prodiiſſe aſſerit, quae prodiit anno 1522. Memorat & Ariſius in Cremona illuſtrata, ubi ad eam Plantavitium provocat Soncini situm ignorantem, ſed ſub mendoſo titulo *marim* loco ikkarim. Itaque editionem hanc breviter deſcripturi, illud in primis animadvertimus quamdam typographi praefationem ſive admonitionem illi praemitti, contra ac in reliquis editionibus factum ſit, in quibus typographorum ac correctorum monita ſi quae ſunt, ſub finem leguntur. In qua quidem praefatione, quum liber hic quammaximae utilitatis ſit ac fructus, nec valde vulgatus, propterea quod vix 70 anni ab ejus compoſitione praeterierint, operae ſe pretium facturum dicit typographus, ſi eum perfecte, accurate eleganterque imprimeret. Emolumentum autem ex eo potiſſimum repetit, quod moſaicae legis ac judaicae religionis praeſtantiam ac veritatem explanet, doceatque quid contraſentientibus judaeorum inimicis, ex quacumque tandem ſecta ii ſint, praecipue vero epicureis ſit reſpondendum. Atque iteratae hae libri laudes atque ad ejus lectionem adhortationes factae dicuntur „ hodie feria „ ſecunda, die XXII menſis marcheſvan anno CCXLVI sexti „ millenarii, hic in urbe Soncini (*b*) „. Character operis rabbinicus eſt, idem plane cum eo quo anonymi commentarii mivchar appeninim & bechinad olam exhibentur. Prima dictio indicis capitum ac praefationis auctoris, literis majuſculis conſtat ligneis ſeu ligneo ornatu concluſis. To-

(a) *Dell'origine e progreſſi della stampa* parte II pag. 351.

(b) ביום יום ב׳ כב׳ מרחשון רמ״ו לאלף הששי פה העיר שונצין ·

tum opus folia 106 complectitur, sub quorum finem dicitur illud accuratissime impressum „ ejusque complementum fuisse hic Soncini quod est in provincia Galliae cisalpinae „ sub dominio domini potentis ducis Mediolani, quem Deus „ benedictus vivificet ac fortificet, die XXI mensis teveth „ anno MMMMMCCXLVI a creatione mundi (*a*). Haec porro editio integra est, seu non desunt in ea caput 25 & 26 tertii maamar sive dissertationis, in quibus auctor aperte Christum ac christianam religionem oppugnat. Ea tamen tanto inquisitorum studio non in posterioribus solum editionibus, sed in singulis soncinensis hujus nostrae exemplaribus resecata sunt, ut rarissimum sit exemplar in quo reperiantur.

IV. *Machazor italicum, seu compendium precum quae ex italarum synagogarum ritu receptis anni festis recitantur, in-quarto Soncini & Casali majore anno* CCXLVI, *Christi* MCCCCLXXXVI. Illustre aliud se nobis objicit singularis soncinatum diligentiae specimen, nitidissima videlicet haec absolutissimi judaicarum precum corporis editio de qua profundissime silent omnes auctores. Exemplar quod possideo, incipit statim a consuetis verbis, *benedictum sit Creatoris nomen*. Literae quae capita inchoant, majusculis quadratis typis referuntur, majoribus adhuc ac ligneis majores sectiones. Preces, sacra poëmata vel hymni, psalmi, Ruth, ecclesiastes, Esther, threni, canticum canticorum quadrato charactere cum punctis impressa sunt, rabbinico vero praefationes, tituli, notae, monita, quaestiones ac capitula patrum. Duabus autem partibus constat universum opus, sub cujus finem prolixa habetur typographi epygraphe, qua elevat se ad celebrationem Domini omnium rerum, qui dedit ei virtutem perficiendi opus hoc sanctissimum secundum ritum synagogae sanctae

(a) והיתה השלמתו פה שונצינו אשר במדינת לומב"רדיאה תחת ממשלת האדון האדיר דוכ"וס מילאנו יחיהו ה' ית' ויאמצהו בעשרים ואחת יום לחדש טבת שנת חמשת אלפים ומאתים וששה וארבעים לבריאת עולם ·

romanae. Commendat etiam summopere ejus dispositionem, correctionem, additamenta; deinde subdit. „ Fuit autem initium aedificii hujus libri per nos soncinates in urbe Soncini mense tisrì anno CCXLVI sexti millenarii, eumque absolvimus hic Casale majori feria II hebdomadae, die XX mensis elul anno quinquies millesimo ducentesimo quadragesimo sexto a creatione mundi (*a*). Benedicatur & extollatur formans in principio qui adjuvit nos ad incipiendum ac perficiendum super omni benedictione & laude. Amen. Sela.

V. *Psalterium hebraicum cum commentario Kimchii in-quarto majore Neapoli anno* CCXLVII, *Christi* MCCCCLXXXVII. Inter italicas urbes hebraicorum librorum impressione celebriores referenda est sane Neapolis, ubi plurima eaque insignia enumerantur XV seculo edita hebraicae typographiae monumenta. Prodiit primum nostra haec psalmorum editio, quam statim, ipso scilicet eodem anno, consecuti sunt ceteri omnes agiographorum libri, fusissimis & ipsi variorum commentariis instructi. Ea porro incipit a praefatione Kimchii. Textus psalmorum qui immediate sequitur, est quadratus cum punctis, sed sine accentibus, contextus vero commentarii qui illi adhaeret, rabbinicus. Lignea quadam tabula praefixa majoribus ornatis literis exhibetur dictio אשרי quae librum inchoat. Reliquorum psalmorum tituli majoribus plerumque literis referuntur. Totum opus quod 114 foliis constat, quadam correctoris epygraphe explicit, in qua post tributas supremo Numini laudes & gratias de illius absolutione, duabus potissimum de caussis excusare conatur menda, quae in hac psalmorum editione reperiri poterunt. Primo quidem quod novus ipse ad typographiae artem accesserit;

(a) ואולם היתה התחלת בנין הספר הזה על ידינו בני שונצ"ין בעיר שונצין בחדש תשרי שנת רמ"ו לאלף הששי והשלמנוהו פה קזאל מיורי בשני בשבת בעשרים יום לחדש אלול שנת חמשת אלפים ומאתים וששה וארבעים לבריאת עולם.

tum vero quod pro rei neceſſitate correctiſſimos codices non potuerit aſſequi. Perpauca nihilominus menda teſtatur is in hoſce pſalmos irrepſiſſe, quibus correctiora ſe cum ſelectiſſimis commentariis editurum Deo dante pollicetur cetera agiographa. „ Haec vir typographicae correctioni praefectus, „ minimus diſcipulorum, Jacob Baruch filius rabbi Jehudae „ Lando felicis memoriae, germanus, ſed peregrinus nunc „ hic Neapoli. Finitus perfectuſque eſt liber pſalmorum. „ Laus ei qui excelſa inhabitat. Anno CCXLVII die IV menſis niſan, menſis egreſſionis ex captivitate AEgypti, per „ manum typographi peritiſſimi Joſeph filii rabbi Jacob felicis recordationis, germani (a). Dominus ob miſericordias ſuas magnas egredi faciat nos ab hac captivitate citiſſime, ut videamus aedificationem domus electae, reſtituatque legem & coronam in priſcum ſtatum; tuncque erit „ nomen ejus magnum, laudatum ac tremendum in ore omnis „ creaturae „. Accuratam voluminis deſcriptionem dederunt pater Fabricy, ac Wolfius qui recte obſervat kimchianum commentarium eſſe recentioribus pleniorem. Etenim ſingula loca quae chriſtianam religionem laceſſunt, in poſterioribus editionibus omiſſa, integerrima ibi ut in priori illa editione anni 1477, exhibentur. Immo noſtra haec liberior dici quoddamodo poteſt, ut ſtatim conſtat ex pſalmo ipſo 11, ubi in antiquiore illa anni 1477, ſacroſancto Servatoris noſtri nomine cautius praetermiſſo, dicuntur chriſtiani illum interpretari על אותו האיש *de viro illo*. At in neapolitana clariſſime habetur על ישו *de Jeſu*. Editionem hanc, etſi ſuis & ipſa mendis ſcateat, idque candide fateatur Jacobus Lando corrector, tanquam omnium nihilominus quotquot unquam viderat, accuratiſſimam celebrat Wulferus in notis ad theriacam judaicam, eamque ſe nactum eſſe ſummopere gaudet.

(a) שנת רמ״ז ד׳ ימים לחדש ניסן יציאת גלות מצרים על ידי המחוקק כמ״ר יוסף ב״ר יעקוב ז״ל האשכנזי.

Conjungenda porro ea eſt cum reliquis quae ſequuntur agiographis eodem anno Neapoli etiam editis, quae integra extant tum in exigua hac mea, tum in celebri caſanatenſi bibliotheca.

VI. *Proverbia cum commentario rabbi Immanuel, Job cum commentario gerſonidis, canticum canticorum, eccleſiaſtes, threni, Ruth, Eſther, Daniel, Eſdras ac paralipomenon libri cum commentario raſcì in-quarto majore Neapoli anno* CCXLVII, *Chriſti* MCCCCLXXXVII. Vix abſoluti fuerant pſalmi quod alterius typographi romani opera edi caepti ſunt, ut Lando promiſerat, ceteri omnes qui ſupererant, agiographorum libri hucuſque inediti. Primum itaque occurrunt proverbia cum expoſitione diffuſa rabbi Immanuelis filii Jacobi, ſub quorum finem dicitur „ abſolutus liber proverbiorum cum prolixo ac „ praeſtantiſſimo commentario rabbì Immanuel felicis recor- „ dationis. Decet laus equitantem & moventem ſe, quin „ defatigetur. Amen. Ego Chaiim filius Iſaaci Levitae, „ germanus „. Jam vero ut proverbiorum libro praemittitur Immanuelis praefatio, ita libro Jobi qui immediate ſequitur, praefigitur praefatio rabbi Levi gerſonidis cujus commentario illuſtratur. Explicit is abſque ulla peculiari epygraphe, ut expliciunt reliqui agiographorum libri, ſolis exceptis paralipomenis quae his clauduntur verbis. „ Lau- „ detur is cui convenit laus, qui unus eſt, ſed non ſecun- „ dum unitatem noſtram, perfectus omni perfectione abſque „ ulla proſapia praeter eum, quoniam nihil eſt abſque illo. „ Ipſi dabo gloriam, quia auxiliatus eſt nos, ut perficere- „ mus opus ſanctum die IX menſis ettanim (ſeptembris) „ anno CCXLVII ſexti millenarii in urbe Neapolis, per ma- „ nus Samuelis (qui videat ſemen prolungetque dies ſuos) „ filii domini patris mei Samuelis ex Roma piae memoriae (*a*).

(a) בתשעה לחדש האיתנים שנת ז׳מר לאלף הששי במתא נאפולי על ידי שמואל יז״יא בן כמ׳ר אבי שמואל ברומא זצ״ל·

„ Placeat jam Deo, ut veniat filius dejectorum (Messias)
„ ad eruendum populum suum .... cito & tempore proxi-
„ mo . Amen, amen „. Porro in hisce omnibus libris facer textus hebraicus quadrato charactere cum punctis exhibetur, rabbinico vero exarati sunt singulorum commentarii. Tituli, seu dictiones quae proverbia inchoant, Jobum ac canticum canticorum majoribus literis exprimuntur ligneo ornatu stipatis. Totum volumen folia 252 complectitur, quorum 104 proverbia occupant, Job 48, canticum canticorum 8, ecclesiastes 10, threni 4, non 5, ut asserit Wolfius, Ruth 3, Esther 5, Daniel 13, Esdras 19, non 12, ut notat idem Wolfius, paralipomena 38, non 40, ut falso iterum extat apud Wolfium. Mattairius sola proverbia recenset; cetera omnia hujus editionis agiographa omittit.

VII. *Biblia hebraica integra cum punctis & accentibus in folio Soncini anno* CCXLVIII, *Christi* MCCCCLXXXVIII. Singulae quidem hebraicorum bibliorum partes seorsim hucusque variis temporibus ac diversis etiam in locis cum commentariis editae sunt, quae si simul connectantur, ut connexas ipsi habemus, integrum bibliorum corpus conficient selectioribus rabbinorum expositionibus illustratum. Nec alio sane studio bononiensi pentateucho priores ac posteriores prophetas subnectere conati sunt soncinates, nec iisdem agiographa typographi neapolitani. At integra simul biblia cum punctis & accentibus, & absque commentariis edenda nemo susceperat, hicque honos illi ipsi Abrahamo Chaiimo reservebatur, qui undecim abhinc annis primum hebraicae typographiae foetum Pisauri vulgaverat. Praestantissima hac editione, de qua suo loco agunt Bartoloccius, Wolfius ac le Longius, vix rariorem librum adesse statuunt lipsiensia eruditorum acta ad annum 1753, quibus adstipulatur Osmontius, Biscionius, Simonis in introductione in linguam hebraicam, Fabricy aliique qui eam rarissimam, immo extremae esse raritatis scite animadvertunt. Clarissimus Kennicott tria tantum exempla-

ria in Europa dignosci testatur in statu collationis anni 1767, duo scilicet quae Romae extant in bibliotheca barberina & divae Pudentianae monacorum cistercensium, tertium vero Florentiae in laurentiana. Quibus quartum addendum notat eo ipso anno a docto amico suo Sanfordio acquisitum, quod idem esse puto cum eo quod servari nunc in bibliotheca collegii oxoniensis ex cl. Brunsii literis nuperrime intellexi. Fabricy postremo hoc praetermisso, ejus loco alterum nominat quod servari asserit in bibliotheca Margravii Baden-Durlac. His exemplaribus duo alia addenda sunt, alterum quod Viennae in bibliotheca imperiali servatur (*a*), alterum vero luculentissimum quod recentissime Florentiae detexi in bibliotheca divi Marci (*b*). Extat & apud me, sed non integrum hujus editionis exemplar, quod priores omnes ac posteriores prophetas continet. Horum bibliorum codicem penes se habebat etiam Arisius, ut ipse testatur in Cremona literata, ubi falso eum impressum asserit per Josuam filium rabbi Israëlis Nathanis qui solas impensas, ut infra videbimus, suppeditavit. Opus hoc quod binis columnis sacrosanctum textum sistit, incipit versa folii pagina ab ipsissimo illo ornatu qui soncinensi priorum prophetarum editioni praemissus est. Singuli libri majusculis, ligneis ornatisque dictionibus ac literis inchoantur. Folio 100 quo explicit pentateuchus, haec legitur epygraphe. „ Perfectum est autem „ opus sanctum XXIV librorum perfectione qua studuit pro- „ pagare legem in israël clarissimus Josuas Salomon (videat „ ipse semen prolungetque dies), filius sapientis perfecti „ Israëlis Nathan (custodiat eum rupes ac redemptor „ ejus), hodie feria III die XI mensis iiar anno CCXLVIII

e

(a) Vide Lambacher *biblioth. antiqu. vindob. civ.* parte I pag. 2 apud Fabr. *lettre d'un romain* pag. 53.

(b) Inter codices editos sec. XV n. 107. Falso exterius annus voluminis statuitur 1483.

„ minoris ſupputationis, per minimum ex familia ſua arti-
„ ficem typographum Abrahamum (videat ſemen producat-
„ que dies), filium rabbi Chaiim felicis recordationis ex
„ fullonibus piſaurenſis regionis, habitantem Bononiae. Ex-
„ cuſum Soncini (*a*) „. Sequitur Joſue liber altera folii pagina tota ligneo circum ornatu decorata. Folio 177 expliciunt prophetae priores & incipiunt poſteriores, qui abſolvuntur folio 165. Hos, integro relicto intermedio folio albo, excipiunt agiographa, ſub quorum finem libri complementum indicatur, ſed nulla alia epygraphe peculiari. In allata porro pentateuchi epygraphe vox אומן in ſignificatione artificis videtur ſumenda, non fidelis, ut eam ſumunt le Longius & Fabricy, qui corrigendi etiam ſunt in eo quod vertunt *qui Bononiae reſident*. In textu namque habetur הדר quod non ad fullones, ut ipſi faciunt, ſed ad ſolum Abrahamum referendum eſt. Corrigendus iterum le Longius aliique qui vertunt *ex piis viris terrae Piſauri*, ac ſi in textu non הצבועים, ſed הצדיקים haberetur. Manifeſte autem Soncini dicuntur biblia haec excuſa, unde emendandus eſt catalogus bibliothecae barberinae, in quo haec editio vocatur bononienſis, ut emendandus eſt in eo, quod conſuetam boni ominis formulam יזי״א quae viventis nomini compendioſa ſcribendi ratione ſubjicitur, pro proprio typographi cognomine accipiens, librum apud Abrahamum Jarziam prodiiſſe adfirmet. Ex nota porro impreſſionis quae clariſſime ad pentateuchi calcem reperitur, jure Biſcionius diligentiſſimum Montfauconium corrigit qui notam illam abeſſe ſcripſerat. Haec dicta ſufficiant de praeſtantiſſima hac bibliorum editione quae non 383, ut ſcribit cl. Fabricy, ſed 373 foliis abſolvitur.

(a) היום יום שלישי באחד עשר לחדש אייר שנת ר״מח לפרט קטן על יד הצעיר ממשפחתו האומן המחוקק אברהם יזי״א בכ״מר חיים ז״ל בן הצבועים מארץ פיסירו הדר בבולונייה נחקק בשונצינו·

VIII. *Rabbi Mosis nachmanidis Commentarius in legem seu pentateuchum in folio Ulyssipone anno* CCXLIX, *Christi* MCCCCLXXXIX. Ex exemplari quod possidebat Jablonskius, editionem hanc describit Wolfius in qnarto bibliothecae suae volumine, ubi eam merito appellat rarissimam. At in exscribenda epygraphe quae extat sub finem, gravissime hallucinatur. Etenim quum illa 36 versibus comprehendatur, binis columnis ita dispositis ut unicuique versui prioris columnae immediate versus ritmicus posterioris succedat, ut fieri solet in omnibus judaeorum poëmatibus, ipse simul legit & retulit versus omnes prioris columnae, deinde versus omnes posterioris sensu plane nullo vel prorsus incongruo. In eo etiam errat Wolfius quod elaboratam statuat in domo cujusdam rabbi Arba, potissimum vero quod eandem esse putet cum editione anni 1490, propterea quod verosimile ipsi non videretur idem opus eodem anno repetita vice lucem vidisse. At vidit profecto, nosque ipsi utramque editionem possidemus, alteram quidem Ulyssipone, alteram vero sequenti anno in Italia perfectam. In ea ergo epygraphe quam consequitur prolixa quaedam nachmanidis precatio & epistola huic editioni adnexa, laudat typographus gloriosum nomen Dei excelsi ac tremendi qui multitudine benignitatis suae adjuvit eum, ut perficeret scriptum hoc pretiosum & inaestimabile Mosis nachmanidis, & quidem perficeret perpulchra impressione rectaque correctione „ mense av anno *mise-* „ *rebor iudae*, scilicet CCXLIX judaico in aedibus rabbi Tzor- „ ba & rabban Eliezer (a) „. Editio charactere constat rabbinico hispanicae vel orientalis inflexionis, incipitque versa folii pagina a nachmanidis praefatione, cui circumpositus est ligneus ornatus varia animalium genera repraesentans. Binarum dictionum *sepher berescid* quae commentario initium faciunt, prior majusculis ornatis literis, altera mino-

(a) בחדש אב בשנת אר״חם את יהודה בבית הרב רבי צורבא ורבן אליעזר׃

ribus quadratis exhibetur quibus exprimuntur etiam quaelibet ſectionum exordia. Duplici autem columna conſtat opus & foliis 199.

IX. *Rabbi Moſis ben Jacob kotzenſis Sefer mitzvod gadòl, ſeu liber magnus praeceptorum in folio anno* CCXLIX, *Chriſti* MCCCCLXXXIX. Rariſſima editio, cujus nulla apud bibliographos reperiuntur veſtigia. Opus quod 279 folia complectitur, in duas partes diſpeſcitur, quarum prima praecepta moſaica negantia, altera adfirmantia exhibet. Ab ipſa porro auctoris praefatione incipit, praemiſſis tamen hiſce tribus verſiculis. „ Quam dilexi legem tuam; quotidie ipſa eſt „ meditatio mea. Expectavi ſalutare tuum, Domine, & „ mandata tua feci. Dirige me in via praeceptorum tuorum „ quia eam dilexi „. Utrique parti index praeceptorum adtexitur. Vocabula quibus praefationi atque utraeque operis parti initium fit, iis majuſculis ornatisque literis exarata ſunt quae in ceteris soncinatum libris conſpiciuntur. Character eſt hebraicus quadratus ſat luculentus, haecque ſub libri finem leguntur. „ Jam vero abſolutum eſt opus hoc recte diſpoſi„ tum ac pulcherrimum, ac finitum anno CCXLIX ſexti „ millenarii die XV menſis teveth (a). Laus Deo qui dicit „ & facit, qui dedit mihi gratiam ſuam, dicit Gerſom fi„ lius ſapientis rabbi Moſis ex ſemine iſraël, vir soncinas. In qua epygraphe non habetur quidem expreſſa mentio loci, ſed ex charactere, ex ornatuum ratione, ex typographo ipſo soncinate manifeſtiſſime conſtat Soncini opus prodiiſſe.

X. *Pentateuchus hebraicus abſque punctis cum chaldaica paraphraſi Onkeloſi & commentario Jarchi in folio* באישאר, *videlicet ut creditur, in inſula Sorae anno* CCL, *Chriſti* MCCCCXC. In folio quidem, ut recte notat catalogus bibliothecae regiae pariſienſis & Fabricy, non in quarto, ut ſcribit Mattairius,

(a) ותשלם המלאכה ערוכה ויפה · · · ונשלם בשנת ר״מט לאלף הששי בחמשה עשר בטבת·

le Longius ac Wolfius. Ita porro comparata est praestantissima haec rarissimaque editio, ut in medio quadrato charactere sacer textus exhibeatur, hinc inde vero minoribus quadratis typis chaldaica paraphrasis, & typis hispano-rabbinicis isaacidis commentarius. Primae librorum ac decalogi literae ornatae sunt, subque eorumdem librorum finem ligneus quidam ornatus plerumque conspicitur qui leonem & equum veluti inter se pugnantes repraesentat. Totum volumen quod 264 folia complectitur, tribus carminibus absolvitur. Primum constat 12 versibus & incipit: „ finitus ac completus est „ liber. Laus Deo creatori universi. Benedictus misericors „ qui adjuvit nos a principio usque nunc „. Alterum totidem etiam versibus componitur, incipitque *perfectum est opus Dei & lex ejus*, & explicit *absolutum & completum est scriptum hoc anno: surge lux mea quoniam venit* (*a*), *anno scilicet* 250 *judaicae supputationis*. Intermediae deinde binae extant lineae quae editoris nomen pandunt. „ Sic di- „ cit laetans in effusione pecuniae suae, & profugus & „ aberrans a loco suo ob religionem Dei possessoris sui Sa- „ lomon filius rabbi Maimon felicis memoriae Zalmathi „, non Zalmami, ut typographi mendo legitur apud clarissimum Fabricy. Postremum carmen quod incipit *Dominus omnium qui celsitudine sua cuncta tenet*, versus 32 complectitur, in quibus iterum dicitur liber „ obsignatus anno suo CCL, men- „ se av juxta nomen suum; tempore placito fuit perfectio „ ejus in Iscar vel Iscor (*b*). „ Ideo autem dicitur annus ille annus ejus, quia indicatur per verbum נר *ner* quod lumen denotat, sacroque huic volumini apposite congruit quod hominum mentes illustrat. Quod de nomine etiam mensis av dicendum est quod patrem ac rectorem significat, cujus quidem officio apprime fungitur liber divinae legis. Ad locum

(a) נשלמה ונגמרה זאת הכתיבה שנת קומי אורי כי בא׃

(b) נחתם שנתו נ"ר בחדש אב ובשמו בעת רצון שלמותו באישקאר׃

ipſum quod attinet, neglexit le Longius ac poſt le Longium Mattairius, catalogus bibliothecae regiae pariſienſis, Wolfius aliique illud באישאר, quod forte quid ſibi vellet, haud intelligebant, unde & editionem hanc ſtatuerunt abſque ulla loci indicatione perfectam. Aſt doctiſſimus Fabricy rectiſſime deinceps locum ea deſignari animadvertit quem certo ſtatuit eſſe inſulam Sorae. Cui interpretationi illud in primis obſtare videtur quod neapolitana illa Sorae provincia nonniſi improprie inſulae nomine donari queat, nec ullibi, quod ſciam, eo donetur ab hebraeorum ſcriptoribus. Ad haec provincia illa aliter prorſus apud eoſdem ſcribitur; ſcribitur ſcilicet סורא, ut conſtat ex piſaurenſi poſteriorum prophetarum anni 1516 editione quae apud me eſt. Quid de literarum ornamentis ac de characterum forma, ejus praeſertim quo exaratus eſt jarchianus commentarius? Haec ſuadent in Hiſpania vel Luſitania quaerendum eſſe veroſimilius editionis locum, ubi luculentiſſime conſtat illud ornamentorum ac characterum genus fuiſſe adhibitum, non Neapoli, aut in neapolitano regno, aut in ulla alia Italiae provincia, ubi ex editionibus quae ſuperſunt, patet alios ornatus alioſque characteres viguiſſe. Idque eo veroſimilius cuipiam videri poterit, quod in epygraphe non legatur ſeorſim באי שאר, ſed conjunctiſſime unoque plane verbo באישאר, quodque tandem ad indicandum Sorae nomen aleph potius quam conſuetum vav uſurpetur. Sin vero legendum eſt Sor, quare potius Sorae in Italia editum putemus librum, quam Soriae in Hiſpania, ubi editum revera demonſtrat tota editionis ratio? Quae non eo dico, quod abſolute credam aut contendam extra Hiſpaniam edi nulla ratione potuiſſe, praeſertim vero quum editor aperte dicatur profugus atque aberrans a loco ſuo. Verum nequit hoc de hiſpana expulſione intelligi quae contigit duobus poſt annis, multominus de luſitanica quae eſt hiſpana ipſa recentior. Quare recte crediderim neapolitanam Soram tanquam certiſſimum hujus editionis locum ſtatui non

posse, sique aliquis extat intra Hispaniae fines locus qui Iscar vel Iscor, vel etiam Liscar vel Liscor appelletur (nam & Ulyssipo utroque modo ab hebraeis scribitur *Isbona* & *Lisbona*), eum verosimilius priori illi esse anteponendum. Praeter exemplar quod exiguam hanc meam librorum collectionem exornat, extat in parisiensi bibliotheca, in casanatensi & apud clarissimum Assemannum Apameae archiepiscopum ac primarium vaticanae custodem. Extat etiam ex nuperrima concessione alterius quod possidebam, exemplaris apud Mosem Biniaminum Foà regiensem serenissimi mutinensis ducis bibliopolam.

XI. *Rabbi Mosis maimonidis Jad achazachà seu manus fortis in folio Soncini anno* CCL, *Christi* MXD. Soncinates quos hucusque vidimus paucorum annorum spatio celebratiora judaeorum scripta edenda assumpsisse, celeberrimum hoc maimonidis non omiserunt quod purissimo hebraico idiomate absolutum talmudis sistit compendium. Editionem hanc vere splendidissimam ex Bartoloccio afferunt Mattairius ac Wolfius, tum Chevillerius de originibus typographiae, tamquam extantem in bibliotheca Sorbonae. Habeo jam integrum exemplar, ex quo accuratissimam hic illius descriptionem suppedito. Opus cui disjuncto folio octodecim versus ac quaedam in ejus laudem Gersonis soncinatis typographi praefatio praemittuntur, incipit a verbis כל המצות, literis majusculis ornatis, quales ea aetate a soncinatibus adhibebantur. Prior pagina conspiciendum praebet eum ornatum qui tum alibi, tum praecipue sub Josue initium conspicitur in soncinensi bibliorum editione anni 1488, quique angelum ad dexteram lanceam in animalis os figentem sistit, in ima vero parte vacuum quoddam stemma duosque hinc inde angelos insidentes. Sub voluminis finem haec legitur epygraphe. „ Finitum est autem totum opus, opus divinum, scilicet jad achazachà seu manus valida quam fecit Moses in conspectu israël, fuitque complementum die XVI primi mensis nisan

„ anno *lucerna eſt praeceptum & lex*, ſcilicet ccl, hic Son-
„ cini quod eſt in provincia Galliae ciſalpinae ſub ditione
„ domini ducis Mediolani cujus majeſtas decuſque extolla-
„ tur (*a*). Laus & confeſſio Deo, dicit minimus corrector
„ Eliezer filius rabbi Samuelis (memoria iuſti ſit in bene-
„ dictione) „. Character eſt quadratus luculentus, totaque editio foliis 367 abſolvitur.

XII. R. *Moſis nachmanidis Commentarius in pentateuchum in folio anno* ccl, *Chriſti* mccccxc. Editionem hanc recenſens Wolfius, falſo eam aſſerit in quarto elaboratam quae eſt in folio minori. At vero in eo magis hallucinatur, quod putet eandem omnino eſſe cum ulyſſiponenſi anni 1489 ſuperius allata, quum ab ea ſit diſtinctiſſima ac plane diverſa. In priori enim illa annus aperte indicatur voce ארחם 249, in altera vocabulo נר 250. Prior exarata eſt charactere rabbinico hiſpano, poſterior italico communi, illa Ulyſſipone, haec abſque loco, ſed certe in Italia & veroſimilius Neapoli. Verſa folii pagina quae opus inchoat, libri titulum quadratis literis auctoriſque praefationem cum ligneo quodam ornatu exhibet qui ſuperiori parte angelum cum leone pugnantem, inferiori vero duos alios angelos hinc inde ad vacui ſtemmatis latera inſidentes repraeſentat. Eundem prorſus ornatum exhibet etiam editio neapolitana libri radicum anni ſequentis, unde dubitari nequit, quin Neapoli quoque editio haec noſtra lucem adſpexerit. Sectionum ac librorum tituli quadratis ac majoribus typis exprimuntur, ac titulus primae ſectionis bereſcid lignea inſuper tabula circumornatur. Conſtat foliis 243. In poſtremo quaedam extat typographi epygraphe, in qua ſumma extollitur editionis correctio. „ Qui dicent, inquit is, mendoſum eſſe opus

(a) ותשלם כל המלאכה מלאכת ה׳ היא היד החזקה · · ·· ב״ו ר״ח ניסן שנת ב״ר מצוה והורה פה שונצינו אשר במדינת לומברדיאה תחת ממשלת האדון דוכוס מילאנו יר״ה:

„ hoc, expiabunt iniquitatem ſuam, & quicumque manus „ eorum confirmat, utrorumque manus erunt contra excel- „ ſum. Omnes quidem libri qui imprimuntur, digni ſunt „ qui laudentur ac celebrentur. At vero liber hic ſanctus „ reliquos pulchritudine ac diligentia antecedit, quia codi- „ ces ex quibus exaratus eſt, correcti fuerunt per ſapientes „ maſſilienſes & per unum ex ſapientibus hiſpanis. Lectione „ libri ipſius probabuntur quae dico, in cujus lectione non „ offendet lector ob menda, quum a planta pedis uſque ad „ verticem nullus ſit in eo defectus. Tota pulchra eſt ami- „ ca mea & macula non eſt in ea. Finitum eſt autem opus, „ ſubdit is, omni excellentia ornatum ad celſitudinem & „ laudem feria VI die XIII menſis tamuz anno *lucerna pe-* „ *dibus meis verbum tuum*, ſcilicet CCL (*a*). Pax ſit ſuper „ iſraël „. Jam vero editio haec, ut altera 1489 ſuperius allata & tertia abſque loco inferius afferenda, integrum nachmanidis contextum refert quoad ea loca quae Romam & romanos, Chriſtum & chriſtianos reſpiciunt, quaeque in recentioribus editionibus ſunt vel ablata vel immutata.

XIII. *Rabbi Davidis Kimchii Sefer ſcaraſcim ſive liber radicum in folio Neapoli anno* CCL, *Chriſti* MXD. Binae prae- ſtantes biblici hujus kimchiani lexici duobus ſibi ſtatim ſuc- cedentibus annis in eadem neapolitana urbe factae ſunt edi- tiones. Utraque eſt apud me, prior quidem quae noſtra haec eſt anni 250, integra pagina conflata cum rabbinicis bibliorum teſtimoniis in margine, altera vero duplici colu- mna diſtincta inſertiſque in kimchianum ipſum contextum illis auctoritatibus. De hac inferius agemus. Nunc de priori quae charactere quadrato conſtat, ut altera, ſed abſ- que ullo prorſus ornatu ab auctoris praefatione incipit, cujus priora vocabula eodem plane charactere majori exhi-

f

(a) ותשלם המלאכה . . . ביום ששי שלשה עשר יום לחדש תמוז שנת נ״ר לרגלי דברך .

bentur quo ſingulae verborum radices. Sub finem editionis quae 143 folia complectitur, quaedam occurrit correctoris rabbi Latef admonitio quam attulit Marcus Marinus in praefatione ad arcam Noe, & ex Marino repetunt Claudius Cappellanus in mari rabbinico inſido, & Chriſtophorus Wolfius in bibliotheca hebraica. In ea porro lectores monet Lateſius ſe reperiſſe in hoc libro, quum eum corrigeret, nonnullos verſiculos qui nullibi reperiuntur in ſacra ſcriptura. Quae quidem loca quorum exempla profert, immutare nolens vel corrigere, propterea quod in omnibus exemplaribus haberentur, ſeorſim ad libri calcem ea ſe poſuiſſe aſſerit. Quod ad reliquorum correctionem, „ Dominum ita „ brachia mea, ſubdit is, roboraſſe ac confirmaſſe puto, ut „ eam ad ullam perfectionem perduxerim, quod lectores „ omnes capto experimento intelligent. Ita loquitur mini„ mus Samuel filius domini Meir Latef quem Deus ſervet. „ Hic Neapoli menſe elul anno 250 minoris ſupputationis (a).

XV. *Rabbi Bechai filii Joſephi Chovad allevavod ſeu obligatio cordium in quarto Neapoli anno* CCL, *Chriſti* MXD. Celebratiſſimus eſt apud judaeos liber hic qui de moralibus hominis virtutibus agit. Hanc editionem deſcribit Wolfius in tertio bibliothecae ſuae volumine, eamque prodiiſſe teſtatur opera cujuſdam Joſephi aſchenazi ſeu germani, correctam vero fuiſſe per Salomonem filium Peretz. Extabat in bibliotheca Oppenheimeri, ubi eam Wolfius viderat.

XIV. *Rabbi Moſis nachmanidis Sahar aghemul ſive porta retributionis in quarto Neapoli anno* CCL, *Chriſti* MXD. Sed ſi Wolfium audimus qui editionem hanc vidiſſe & habuiſſe prae manibus videtur, ea non complectitur niſi poſtremam libri torad Adam ſectionem quae proprie hoc nomine inſcribitur, quaeque Ferrariae etiam ſeorſim edita eſt. Ea conſtat foliis 34, factaque eſt per Joſephum Guntzenheuſer germanum.

(a) פה נאפולי בירח אלול ר״נ לפ״ק·

XVI. *Josephi gorionidis seu Josiffonis Historia hebraice in folio Constantinopoli anno* CCL, *Christi* MXD. Conveniunt quidem in hac memoranda editione Bartoloccius, Ittigius, Alb. Fabricius ac Wolfius, qui propterea, si unum Bartoloccium excipis, constantinopolitanas duas recensent, alteram nostram hanc 1490, alteram anno 1510 perfectam. Non ita tamen, ut liberius dicam quae sentio, eorum verbis auctoritateque probatur hujus editionis fides ac veritas, ut nullus omnino dubitationi restet locus. Etenim unam tantum constantinopolitanam nominat Bartoloccius, unam rabbi Scabtaeus, unam Morinus ac Simonius, unam sub turcicae nomine rabbi Azarias de-Rubeis in suo meor enaim, unam denique Munsterus ipse latinus hujusce libri interpres & editor. Porro posterior illa anni 270 seu 1510, in dubium revocari nequit. Eam enim contulit Morinus; ea usi sunt Simonius, Munsterus aliique, & in privatis etiam num judaeorum bibliothecis reperitur. Contra de nostra hac anni 1490 ita loquuntur auctores ipsi qui eam memorant, ut nunquam eam vidisse atque habuisse prae manibus videantur. Nullibi extat; quodque asserit post Bartoloccium Fabricius illa usum fuisse Munsterum in sua concinnanda editione hebraeo-latina, eamque decurtatam fuisse ut plane munsteriana est ad ejus fidem exacta, simplex est nec satis innixa conjectura, quam ipsa Munsteri praefatio, tum Morini ac Wolfii in hanc rem observationes evertunt. Etenim in praefatione ad editionem anni 1541 fatetur Munsterus consulto se ea omisisse quae sub initium huic auctori adjecta sunt, eo quod pleraque sint fabulosa. Quoad ea vero quae sub finem omisit, id non nisi ex eo contigisse putat Morinus quod in imperfectum mutilumque exemplar auctor ille inciderit, vel ea destinato etiamco nsilio omissa ab eo habenda sunt, ut cetera quae in limine habebantur. Non itaque ea in constantinopolitana etiam editione omitti censendum est quod putat Gagnerius, aut quum integra sit editio anni 1510, decurtata alia antiquior

pariter constantinopolitana cum Fabricio aliisque confingenda. Wolfius sane qui nostram hanc editionem in dubium non revocat, non ex ea tamen, sed ex altera posteriore editionem suam confecisse Munsterum existimat, nonnullis productis momentis quae id suadere videntur. Interim vero diligens & eruditus judaeorum scriptor rabbi Azarias in tertia sui meor enaim parte quae imrè binà dicitur, capite xix, de inauguratione quadam Vespasiani in Coesarem Romae facta praesente Josepho quae libro sexto gorionidis narratur, sermonem instituens, „ eam non invenietis, inquit, nisi in edi-
„ tione turcica ex qua facta est veneta. Nam in editione
„ germanica, ut & in duabus prioribus Abrahami Conathi
„ nihil de ea habetur „. Patet discriminis ratio inter turcicam seu constantinopolitanam, & inter germanicam seu munsterianam editionem, quin ad prioris fidem exactam posteriorem hanc negemus. At vero quaenam sunt priores illae editiones Abrahami Conathi turcica antiquiores? Aliqua erit igitur editio constantinopolitana illa anni 1510 vetustior, quae ipsissima nostra est anni 1490. Eo autem magis, quod in editione anni 1510 in animadversione rabbi Tam quae ad calcem accedit, expresse dicatur, ut observat Wolfius, illam librum hunc perfectiori methodo quam ceteras priores editiones exhibere. Ad haec editoris aetas congruit, cui binas alias nos hebraicorum librorum editiones debere supra animadvertimus, certa rudiorum typorum, chartae etiam atque epygraphis fide ad xv seculum referendas. Parum abest quin in tanta auctorum dissensione tantaque rei obscuritate conjiciam aliquam revera editionem xv exeunte seculo, non Constantinopoli quidem, ut creditum est, sed ullo absque loco, & forte ullo etiam absque anno ab Abrahamo Conatho factam fuisse. Ex ralbagiano namque commentario ac rabbi Abrahami nofed tzufim quos ipse vulgavit, constat eam fuisse hujus editoris agendi rationem & institutum, ut annum & locúm perpetuo omitteret. Quod Azarias ipse con-

firmare videtur qui Conathi editiones recensens, vetustas eas tantum primasque appellat, nulla facta loci, nulla anni mentione. Atque eam quidem editionem quoddam potius gorionidis compendium exhibere crediderim, quale illud est quod anno 1529 cum latina versione Wormaciae edidit Munsterus, cujus luculentum extat apud me exemplar, non integrum illud auctoris opus quod constantinopolitana exemplaria referunt, ad quorum fidem novam deinde editionem anno 1541 Munsterus ipse adornavit, sed a se consulto mutilatam. Haec conjecturae loco habeantur, donec peroptato ac felici eventu aliquod utriusque editionis exemplar consequamur, quo fiant planiora.

CAPUT VI.

Annales typographici hebraici ab anno MXD *usque ad annum* MD.

I. *Pentateuchus hebraicus cum chaldaica Onkelosi paraphrasi & commentario rabbi Salomonis Jarchi in quarto duobus voluminibus Ulyssipone anno* CCLI, *Christi* MXDI. Caput hoc auspicamur a celeberrima hac pentateuchi editione quam merito le Longius elaboratissimam rarissimamque appellat, meritoque judaei a typorum praestantia atque a singulari ἀκριβεία summopere celebrant. Ea enim ad hispanos codices exacta est, qui communi judicio reliquis omnibus antiquiores & accuratiores habentur, perfectaque paullo ante nationis expulsionem ab hispanis ac lusitanis sapientibus qui in maxima semper apud judaeos existimatione fuerunt. Quamobrem nescio qui scribere potuerit anonymus quidam sutor ultra crepidam editionem hanc non esse exactam, nec characterum

nitore aeſtimabilem, ſed in vulgi gratiam ſine cura editam (*a*). Quod non unius le Longii, ſed doctorum quorumvis chriſtianorum ac judaeorum judicio, immo & facto ipſi opponitur. Haec porro eſt editionis ratio. Character ſacri textus ac chaldaicae Onkeloſi paraphraſis quae ad ejus latus conſpicitur, quadratus eſt cum punctis & accentibus, ſed ille quidem major, hic minor. Character raſciani commentarii qui ſupra & infra diſponitur, eſt hiſpano-rabbinicus. Incipit opus verſa folii pagina. Titulus commentarii majoribus literis quadratis contexitur, quibus majores adhuc ſunt eaeque ornatae binae literae quae Moſis textum & chaldaicam paraphraſim inchoant. Sub prioris voluminis finem quod foliis 215 geneſim & exodum complectitur, reperiuntur toſafod ſeu additamenta. Altero volumine quod conſtat foliis 239, reliqui Moſis libri continentur. Ad eorum calcem generalis quaedam verſiculorum cujuſque libri ſupputatio ac recenſio reperitur, prolixaque in legis laudem 38 verſuum epygrahe, in qua ſub medium dicitur Zachaeus quidam filius rabbi Eliezer librum hunc impreſſiſſe, qui „ perfectus eſt „ Ulyſſipone menſe av anno CCLI ejus ſupputationis cui V „ millenaria adjiciuntur „ (*b*). Sub finem carminis extat charactere rabbinico יוסף כלעין, is ſcilicet qui, ut videtur, carmen ipſum compoſuit. Pauciſſima aetatem adhuc ferunt & ſingula membranacea magnificentiſſimae hujus editionis exempla. Praeter luculentum meum exemplar quod debeo beneficio eruditi Eliae Levi alexandrinae judaeorum synagogae praefecti, extat etiam in bibliotheca regia pariſienſi, in londinenſi, atque apud Moſem Foà regienſem bibliopolam. Ex regio britannico exemplari variantes collegiſſe ſe anno 1767 ſcribit clariſſimus Kennicott in ſtatu collationis ejus anni, ſeque grates Magnae-Britanniae regi retuliſſe ob uſum

(a) In Richardi Simonii *bibliotheca critica* vol. III pag. 451.

(b) נש׳לם באשנונה שנת ר״נא באב שלש אלפים עוד עלי אלפים ·

regia ſibi auctoritate conceſſum ſingulariſſimi hujus pentateuchi qui tanquam ms. habebatur.

II. *Rabbi Davidis Kimchii Sefer ſcaraſcim ſeu liber radicum in folio Neapoli anno* CCLI, *Chriſti* MXDI. Editionem hanc commemorat Wolfius III bibliothecae ſuae volumine, eamque extare aſſerit in bibliotheca Oppenheimeri. Ea porro diverſa omnino eſt ab illa quae ſuperiori anno Neapoli etiam perfecta eſt, ut in praecedenti capite animadvertimus, ubi praecipua etiam tetigimus diſcriminis capita. Incipit altera folii pagina eo prorſus, ut diximus, ornatu circumdata qui extat ſub initium commentarii nachmanidis anni 1490; explicitque ritmica quadam epygraphe in operis laudem contexta, cui ſoluta oratione ſubjicit typographus ſe librum hunc duplici columna appoſitiſque ſingulis ſuo loco auctoritatibus edidiſſe tum ad ejus praeſtantiam, tum ad comodiorem legentium uſum. Dein dicuntur hae radices „ abſolutae „ hic Neapoli feria v die I menſis adar anno MMMMMCCLI „ ab orbe condito „ (*a*). Sequitur unius folii appendix, qua ad omnimodam libri perfectionem nonnulla ſupplentur. Studio ac beneficio clariſſimi viri meique amiciſſimi Johannis Baptiſtae Gallicciolli eruditi ſacerdotis veneti, extat jam apud me hujus editionis exemplar quod conſtat foliis 166. Membranaceum aliud reperitur Florentiae in bibliotheca medicea in quo nota impreſſionis excidit, quodque illius catalogi auctor Biſcionius putat eſſe noſtrae hujus neapolitanae editionis (*b*).

III. *Avicennae Canon hebraice in* V *libros & partes diſtributus in folio Neapoli anno* CCLII, *Chriſti* MXDII. Medicinae ſtudiis quae impenſe ſemper excoluerunt judaei, pulcherrimam ac ſplendidiſſimam hanc debemus hebraicam Avicennae

(a) נשלמו פה העיר נאפולי ביום חמישי ראש חדש אדר שנת חמשת אלפים ומאתים וחמשים ואחד ליצירה׃

(b) *Catal. bibl. medic. laur.* tom. I plut. 88 cod. v pag. 139.

canonis editionem ac verſionem, quae veroſimilius auctorem habet rabbi Nathan Amathi. Mss. enim codices hebraicae verſionis hujus auctoris reperiuntur in bibliotheca bodlejana ac taurinenſi, tum in medicea, cujus codex dicitur conſcriptus anno 4249 a creatione mundi. Sed ut animadvertit cl. Biſcionius, quaedam apparet prioris numeri abraſio, unde ſcriptum potius fuiſſe autumo anno 249 ſexti millenarii, Chriſti 1489; ſcriptum autem non in civitate Asbonae, ut habet catalogus illius bibliothecae, ſed Ulyſſipone. Hebraeos enim אשבונה *Isbona* pro לשבונה *Lisbona* aliquando uſurpare ſatis ſuperque conſtat ex allata ſuperius ulyſſiponenſis pentateuchi editione. Fuſe editionem hanc cujus praeſtantiſſimum extat apud me exemplar, in variis bibliothecae ſuae voluminibus deſcribit Wolfius, in quarto praeſertim, ubi integram ipſe refert praefationem atque epygraphem. Opus in v libros diſpeſcitur quorum primus conſtat foliis 68, ſecundus 75, tertius 192, quartus 98, poſtremus 43, quae ſi ſimul enumerentur, efficiunt ſummam foliorum 476 quibus conſtat integra editio. Typi ſunt quadrati minores, exceptis librorum, capitum, ſectionum, indicum, praefationum titulis qui typis majoribus exhibentur. Incipit ſtatim opus ab ipſa Avicennae praefatione, quam copioſus ſectionum index excipit unicuique etiam libro praefixus. Sub finem II libri haec leguntur. „ Laudabo Deum poſſeſſorem meum qui in „ via veritatis direxit me. Hic Neapoli in domo Domini „ mei rabbi Azariae filii rabbi Joſephi cujus requies ſit in „ horto voluptatis, qui hucuſque adjuvit me ut perficerem „ librum II ſapientis medici Avicennae, per manum meam „ minimi Aſcer filii ſapientis rabbi Peretz Minza artificis „ literarum, die VI menſis caslev anno CCLII minoris ſup„ putationis „ (*a*). Ex his emendanda eſt latina Wolfii

(a) פה נאפולי ··· על ידי הצעיר אני אשר בהה״ר הפרץ מינצא מצר׳ האותיות היום ו׳ לירח כסליו רנ״ב לפ״ק·

hujus epygraphis interpretatio. Ceteri libri abſque ulla epygraphe expliciunt. Raritatis notam jure huic editioni attribuunt Wolfius ac David Clemens in ſua curioſa rariorum librorum bibliotheca. Keſtnerus in bibliotheca medica in Avicennae canonis laudem arabicam editionem Wratislaviae, tum potiſſimum magnificentiſſimam romanam mediceam refert, quam nos una cum reliquis editionibus arabico-mediceis ampliſſimi ſecretioris hujus philologiae mecoenatis, magni Etruriae ducis munificentia ac dono poſſidemus. At noſtram hanc hebraicam omittit, etſi in canonis honorem & ipſa mirifice cedat.

IV. *Rabbi Immanuelis filii Salomonis Mechabberod ſive poëticae compoſitiones in quarto Brixiae anno* CCLII, *Chriſti* MXDII. Soncinates alio typographicam artem devexiſſe rectiſſime obſervavit Bartoloccius, & ſat ſuperque demonſtrant libri Brixiae, Arimini, Piſauri, Fani, Ortonae, Conſtantinopoli ab illis editi. Unus ex his ſunt hae noſtrae Immanuelis compoſitiones quae illud quidem ſingulare habent, quod pleniſſime in earum epygraphe patriam, familiam, locum & annum expreſſerint inſignes illi judaeorum typographi. Opus quod 159 folia complectitur, ab ipſa auctoris praefatione incipit cui quadratis majuſculis literis praefigitur libri titulus. Vocabulum quod praefationem ipſam inchoat, literis quadratis majoribus ornatis exhibetur, ſed reliquum operis charactere conſtat rabbinico, exceptis pleriſque poëmatibus quae typis exarata ſunt quadratis minuſculis. Sub finem haec leguntur: „ Et abſolutum fuit omne artificium libri hujus „ dicti mechabberod Immanuel per manum minimi typographorum Gerſonis typographi filii ſapientis rabbi Moſis „ (memoria juſti ſit in benedictione) ex ſemine iſraël, viri „ soncinatis. Fuit autem complementum ejus hic Brixiae „ quae eſt ſub ditione sereniſſimae reipublicae venetae (cujus gloria extollatur), hodie feria II hebdomadae die „ XXVI menſis marcheſvan anno MMMMMCCLII ab orbe con-

„ dito (*a*). Dominus miſericordiis ſuis dignos faciat nos „ inchoare & perficere reliquos libros ſanctos ſicut deſide- „ ramus, laetificetque nos aedificatione arielis cum omni „ iſraël. Amen „. Wolfius vertit die 11 ſabbathi; at cuique conſtat judaeorum uſus antiquiſſimus nomine etiam ſabbathi hebdomadam ipſam intelligendi. Bartoloccius qui exemplar hujus editionis poſſidebat, obſervat in editionibus venetis multa emendata fuiſſe, quae in hac noſtra adverſus chriſtianos & romanum regnum habebantur. Extat tum apud me, tum in bibliotheca medicea laurentiana. Conſulatur ejus catalogus, ubi multa Biſcionius de libro ejuſque auctore commentatur.

V. *Biblia hebraica cum punctis in quarto Brixiae anno* CCLIV, *Chriſti* MXDIV. Quod ad celebratiſſimae hujus editionis formam attinet, in qua diſſentiunt bibliographi, ex exemplari integro praeſtantiſſimoque quod multo olim tempore magnoque ſtudio fruſtra conquiſitum nuperrime tandem ſumus adepti (*b*), patet eam eſſe potius in quarto minori, ut ſtatuit rabbi Scabtaeus, quam in octavo vel duodecimo, ut ſtatuunt le Longius, Mattairius ac Wolfius. Opus abſolute incipit a 1 geneſeos capite, relicto ſpatio quo prior dictio *bereſcid* ligneo includi ornatu, vel manu minioque pingi debebat. Character minutus eſt, ſat luculentus. Linea raphe literae begadchefad non deſignantur, ut factum eſt in praecedentibus omnibus editionibus. Dei nomina Elohim & Jeoàh, ut a bibliographis animadverſum eſt, ne fierent profana ac polluerentur, perpetuo efferuntur per אלדים & יהוד. Sub paginarum initium notantur ſectiones legis & quilibet libri ſacri, quorum exordia majoribus literis exprimuntur.

(a) ותהי השלמתו פה בריסה . . . היום יום שני בשבת כ'ו לחדש מרחשון שנת חמשת אלפים ור"נב לבריאת עולם.

(b) Benigne illud mihi humaniſſimus Moſes Foà ſtudioſus ac diligens harum rerum collector conceſſit.

Psalmis exceptis qui binis columnis distincti sunt, libri omnes integra pagina exhibentur. Sub finem voluminis quod foliis constat 578, habetur primo quidam rhithmus Gersonis filii Mosis typographi, ubi ait is, quum videret oblivisci legem nec esse qui ob exemplarium defectum eam legeret, se eam impressisse cum punctis correctissime. Deinde soluta haec oratione sequuntur. „ Quapropter ego Gersom filius sapientis rabbi Mosis (memoria justi in benedictione), soncinas, „ subcinxi quasi vir lumbos meos.... & veni hodie & im- „ pressi librum XXIV librorum sacrorum in forma parva, ut „ unusquisque eum habeat die ac nocte ad meditandum in „ eo, nec iter faciat quatuor cubitorum absque lege, sitque „ apud eum legatque illum dum cubat, & dum surgit qua- „ libet nocte ac die „. Expositisque breviter emolumentis assiduae hujus lectionis sacri codicis, haec subditur epygraphe. „ Fuitque absolutum singulare hoc opus, impletaque „ gloria Domini universa terra anno admirabili votum seu „ CCLIV, hic Brixiae quae est sub ditione serenissimae rei- „ publicae venetae cujus gloria extollatur (*a*). Jam vero „ magnificetur nunc virtus Domini, dignosque faciat nos „ facere libros multos sine fine in divina lege, laetificetque „ nos adventu redemptoris cum consolatione Sion in aedifi- „ catione arielis & cum omni israël. Sic placeat. Amen „. Ex his corrigi queunt typographica menda quae in jubilantem Lesserii typopraphiam, & in Johannis Georgii Estorii Anmerkungen über das staats-und kirchen recht irrepserunt, ubi edita dicuntur biblia haec anno 1490 & 1498. Cardinalis Quirinius patrii decoris vindex acerrimus multoties in suis operibus de nostra hac editione gloriatur (*b*), in cujus laudem singularem illud cedere existimat vir doctissimus, quod

(a) ותשלם כל המלאכה . . . שנת לפלא נד״ר פה ברישה אשר תחת ממשלת השררה מוניצ׳ייא יר״ה .

(b) V. *ep. ad Sax.* pag. 215 ed. ven. & *ep. ad Breitinger.* pag. 416.

a Vogtio in catalogo historico-critico librorum rariorum vocetur rarissima, qua usus olim fuerit Lutherus in conficienda versione germanica, quodque brixianum ipsum exemplar in berolinensi bibliotheca capsulae inclusum asservari testetur. At vero quamplurimi alii bibliographi in praedicanda eximia hujus editionis raritate cum Vogtio conveniunt qui afferri a Quirinio potuissent, atque inter ceteros Hottingerus in bibliothecario quadripartito, Wolfius in bibliotheca hebraica, Schelhornius in amoenitatibus literariis, Lesserius in typographia jubilante, quibus nuper accedunt Georgius Estorius ac David Clemens in curiosa rariorum librorum bibliotheca (*a*). Porro ex berolinensi illo exemplari de quo ob Lutheri usum magnopere gloriantur berolinenses cives, variantes diligenter collegit publicique juris fecit clarissimus Schultzius, cui ob earum notitiam sibi transmissam multum se propterea debere profitetur Kennicottus in statu collationis anni 1765, ubi de nostra hac bibliorum editione loquitur.

VI. *Pentateuchus hebraicus cum quinque sacris voluminibus cantici canticorum, ecclesiastis, threnorum, Ruth & Esther, & cum propheticis lectionibus in octavo Brixiae anno* CCLIV, *Christi* MXDIV. Editionem hanc le Longio ac Wolfio incognitam commemorat clarissimus Kennicottus, simulque asservari asserit in bibliotheca Margravii Baden-Durlac. Aera tamen seu nota anni 1492 quam ipsi tribuit, recte mendosa visa est eruditissimo Fabricy qui fusam atque accuratam hujus pentateuchi descriptionem in primitivis suis fontibus revelationis suppeditat (*b*). Editio est cum punctis & accentibus, ac sub finem propheticarum lectionum hanc typographi epygraphem exhibet. „ Absolutum est autem totum hoc opus, „ opus Domini, lexque ejus lex Domini perfecta cum quin-

(a) *Bibliotheque curieuse des livres rares* tom. IV pag. 26, ubi ceterorum auctorum loca consulantur.

(b) *Des titres primitifs de la révél.* tom. II pag. 591 seq. in not.

„ que voluminibus & propheticis lectionibus auxilio rerum „ omnium Domini, cujus regni nomen gloriosum sit in se- „ culum atque in aeternum benedictum, hodie (*a*) feria II „ die XV mensis caslev anno CCLIV minoris supputationis, „ hic Brixiae quae est sub dominio seren. reip. venetae, „ cujus majestas augeatur, per manum minimi ex impresso- „ ribus Gersonis filii sapientis rabbi Mosis (memoria justi „ sit in benedictione) ex semine israël, viri soncinatis, qui „ germanice cognominatur Meutzelan soncinas (custodiat „ eum rupes ac redemptor ejus).

VII. *Mischnà cum commentario maimonidis in folio Neapoli anno* CCLII, *Christi* MXDII. Editionem hanc describens Wolfius (*b*), asserit eam factam fuisse sub imperio Ferdinandi arragonii apud Josuam Salomonem soncinatem, & quidem literis quadratis quoad textum, quoad commentarium vero charactere rabbinico crassiori. Ut nullum mihi hucusque contigit videre hujus editionis exemplar, sic fusius eam describere non possumus, nec integram afferre epygraphem. Ita tamen de ea loquitur Wolfius, ut exemplum aliquod habuisse prae manibus videatur, nosque idcirco in ejus fide auctoritateque acquiescemus.

VIII. *Psalterium hebraicum cum punctis in-24 Brixiae anno* CCLIV, *Christi* MXDIV. Consului Florentiae integrum hujus editionis exemplar quod servatur in bibliotheca mediceo-laurentiana, in impresso ejusdem catalogo commemoratum. Editio quae charactere quadrato sat luculento cum punctis constat, incipit statim a I psalmo, cujus prima vox אַשְׁרֵי majoribus in medio literis exhibetur. Sub finem accuratus psalmorum index reperitur, post quem distincto folio haec legitur epygraphe. „ Benedictus misericors qui adjuvit nos „ a principio usque nunc. Absolutae sunt orationes Davidis

(a) היום יום ב׳ ט״ו לחדש כסליו רנ״ד לפ״ק פה בריסה אשר תחת ממשלת השררה מוויניזייה יר״ה:

(b) *Biblioth. hebr.* tom. II pag. 883.

„ filii Isai. Ei qui custodit truncum ejus succisum, munus „ offeratur. Fuit autem finis (*a*) libri die VII mensis teveth „ anno CCLIV minoris supputationis hic Brixiae per manum „ minimi typographorum ac minimi discipulorum Gersonis „ filii sapientis rabbi Mosis felicis memoriae ex semine is- „ raël, viri soncinatis (memoria justi in benedictione) „. Nescio quam recte cl. Biscionius ad Wolfium appellet qui de hoc nostro psalterio agat tomo II pagina 365 bibliothecae hebreae, conjiciatque ipsum esse partem integri bibliorum voluminis quod Brixiae eo ipso anno prodierat. Etenim Wolfius commemorato loco agit quidem de brixiensi bibliorum editione, sed perpetuum ubique silentium servat de hac editione psalterii, quam falso prorsus conjiceret esse illius partem, quum illa in 4 minori, ut vidimus, sit, haec vero in 24 aut saltem in 16.

IX. *Prophetae priores seu Josue, judices, libri Samuelis ac regum cum chaldaica paraphrasi ac commentario Kimchii & gersonidis in folio Leiriae anno* CCLIV, *Christi* MXDIV. Wolfius ac le Longius editionem hanc recensentes, eam cum Kimchii commentario prodiisse adfirmant, omissa prorsus expositione gersonidis & chaldaica paraphrasi (*b*). At vero cum utraque hac lucem vidisse aperte colligitur, tum ex catalogo parisiensis bibliothecae qui editionis hujus partem, libros videlicet regum, describens, eos esse asserit cum chaldaica paraphrasi ac commentario rabbi Levi Gersom, tum ex ipso le Longio qui altero bibliothecae suae volumine ralbagianum commentarium hoc ipso anno Leiriae in Lusitania prodiisse constituit.

X. *Rabbi Isaaci filii Jacobi alfesì opus Alfesì dictum cum variorum animadversionibus in folio Constantinopoli anno* CCLIV,

(a) ותהי השלמתו היום ז' טבת רנ"ד פה בריסה על יד צעיר המחוקקים וקטון התלמידים גרשום וכו'.

(b) Wolf. t. I p.301 & II p.397, le Long. t. I p.75 & II p.827, *cat. paris.* t. I p. 19.

Chriſti MXDIV. Conſtantinopolitanam hanc talmudici hujus alfeſiani compendii editionem memorat Wolfius (*a*), eamque ſe vidiſſe teſtatur in bibliotheca Oppenheimeri. Eſt cum obſervationibus rabbi Niſſim filii Ruben & piskè ſeu deciſionibus rabbi Mordachai, nec non nimukè ſeu animadverſionibus rabbi Joſephi ben Chaviva, & excerptis ex rabbi Aſcer. Scabtaeus hanc ipſam editionem affert in ſciftè ieſcenim, ubi eam primam aſſe aſſerit, ſed anno non deſignato quem ex oppenheimeriano dein exemplari Wolfius excerpſit.

XI. *Rabbi Jacob ben Aſcer Arbàh turim ſeu* IV *ordines in folio Conſtantinopoli anno* CCLIV, *Chriſti* MXDIV. Inter ceteras editiones hujus operis conſtantinopolitanam hanc memorant Bartoloccius ac Wolfius (*b*), qui ſubdit eam nuper oculis ſe ſuis vidiſſe in toties commemorata Oppenheimeri bibliotheca, perfectam a rabbi Davide bar Nachman & rabbi Samuele ejus fratre, qui vocantur אומנים ſeu artifices typographici. Neſcio tamen qua fide aſſerat ibidem Wolfius, quod ex calce editionis conſtantinopolitanae anni 305 ſeu 1545 patet extare & aliam conſtantinopolitanam ea antiquiorem quae noſtra haec ſit anni 1494. Habeo enim prae manibus editionem illam anni 305, quae in fronte ſexta dicitur & perfecta per typographorum minimum Eliezerem filium rabbi Gerſom soncinatis. Jam vero ſub finem poſtquam perfecta aſſeritur feria 6 die 17 menſis elul illius anni, ſubditur. „ Dominus autem qui adiuvit nos ut imprimeremus librum „ hunc ſtylo ferreo & plumbeo, dignos faciat nos imprimere ceteros libros ſacros in decore donec nullus ſit finis „. Voce ברז״ל quae duobus punctis & ipſa afficitur, ſi ullam praecedentem editionem deſignat annique notam quo perfecta ſit, plebiſacenſem potius anni 238 innui crediderim;

(a) *Biblioth. hebr.* tom. I pag. 661 & III pag. 570.
(b) Bartoloc. *biblioth. rabb.* tom. III pag. 839, Wolf. *biblioth. hebr.* tom. III pag. 446, 447 & IV pag. 465.

totidem namque annorum ſummam, eo neglecto qui redundat, ut fieri aliquando ſolet, ea nobis exhibet. Illis autem fratribus typographis multas debemus hebraicorum librorum editiones quae Conſtantinopoli factae ſunt ſub initium XVI ſeculi, quarum ego nonnullas poſſideo. At in his conſtantiſſime dicuntur filii Nachmias, non Nachman, ut aſſerit Wolfius. Erit itaque aſcerianum hoc opus primus eorum typographiae foetus, niſi ullum extet, quod ſuſpicor, in ſupputatione mendum quo ad ſeriorem illud aetatem amandare cogamur.

XII. *Rabbi Davidis filii Joſephi Avudraham Seder tefilod ſeu ordo precum totius anni dictus Avudraham in folio Ulyſſipone anno* CCLV, *Chriſti* MXDV. De opere quidem quod perfectiſſimam judaicarum precum expoſitionem ſiſtit, conſuli poſſunt Bartoloccius ac Wolfius. At vero elegantiſſima haec editio omnibus hucuſque bibliographis ſive judaeis, ſive chriſtianis fuit incognita, qui tanquam omnium primam recenſent editionem anni 1514 abſque ulla anni deſignatione elaboratam. Exarata eſt duplici columna, & charactere hiſpano-rabbinico, ſed ſectionum, capitum, orationum initia majuſculis quadratis iiſque pulcherrimis typis exhibentur. Incipit pagina verſa eleganti ornatu decorata varia animalium genera repraeſentante ab ipſis verbis quibus auctor commentarium hunc ſuum in totius anni preces auſpicatur. Totum opus foliis conſtat 170, definitque duplici rhithmica ſubjecta epygraphe, altera 12 verſuum ab auctore ipſo contexta, qua ipſe opus hoc ſuum Hiſpali anno ab orbe condito 5100 compoſuiſſe teſtatur, altera vero fuſiori verſuum 40 qua poſt actas Deo gratias de operis abſolutione ejuſque laudes, dicitur hoc „ abſolutum eo die (a) quo luminaria creavit qui „ magnus eſt virtute ad illuminandum omnes caligines, & „ menſe (ſit is iſraëli in bonum) qui dicitur teveth qui

(a) נשלם ביום ברוא מאורות גדול כח • • • והחדש לישראל לטובה שמו טבת אריך בלילות שנת רנ״ה בשוב ההא אלפים • • • באשבונה •

„ longas habet noctes, anno CCLV quinti millenarii qui manifestis literis voce justitia nostra indicatur, Ulyssipone, in cujus medio est synagoga quae est praecipuarum omnium synagogarum munimen & mater . . . . in domo pii ac timentis Deum sapientis viri Eliezeris „. Hujus laudes virtutesque typographus sequentibus versibus persequitur, quos claudit ardentissimo voto, ut magnificet Deus solium accelleretque captivitatis terminum & benedicatur laudibus nomen ipsius gloriosum ac tremendum.

XIII. *Proverbia Salomonis hebraice cum commentario gersonidis & rabbi Menachem ameirì in folio anno* CCLVII, *Christi* MXDVII. Non sat accuratum in hac describenda editione quam in Oppenheimeri bibliotheca viderat, se praebuit Wolfius, propria quae in epygraphe referuntur, virorum nomina mire confundens ac detorquens, ac gersonidis insuper commentarium omittens qui nobilissimum in ea locum occupat. Ac posterius hoc ipsius quidem Wolfii oblivioni videtur tribuendum; nam volumine III gersonidis commentarium hoc ipso anno 257 sed loco, inquit ipse, nescio quo editum vidisse se aperte testatur. At vero in legenda epygraphe singula fere virorum nomina primum omisit, propterea quod prioris tantum columnae versus seu priora hemistichia legerit. Deinde ex honoris titulo הנכבר qui Samueli Dortas tribuitur, confusis plerisque literis, fictitium ac corruptissimum illud viri cognomen effecit קנספר, insolita characteris rabbinici inflexione deceptus. Quo etiam factum est ut bina Abrahami cognomina in unum illudque corruptum contraheret. Ad editionis rationem quod attinet quae Mantuae extat in publica judaeorum bibliotheca, ea constat charactere quadrato cum punctis quoad proverbiorum textum, rabbinico vero hispano seu orientali quoad utrumque commentarium. Ab ipso statim proverbiorum exordio & ipsa incipit; desinit autem rhythmo quodam 22 versuum, in quo post nonnullas libri laudes dicitur is impressus in domo egre-

gii Samuelis Dortas e regione longinqua, exaratus per manus intelligentis Abrahami Batrak Moskas, editus juſſu rabbi Samuelis Kolodri, abſolutus denique „ prima die menſis av „ anno *venientque ad Sion in cantu*, ſcilicet CCLVII (*a*) „.

XIV. *Iſaias ac Jeremias hebraice cum commentario Kimchii in folio Ulyſſipone anno* CCLVII, *Chriſti* MXDVII. Le Longius, Mattairius ac Wolfius editionem hanc magna fide referunt tum in hebraicarum bibliorum editionum ſylloge, tum in relatione ſcriptorum Kimchii (*b*). Sed in peculiarem ullam illius deſcriptionem non ingrediuntur, vix annum, locum, formam attingentes quibus confecta eſt. Quum nullum hucuſque exemplar in manus noſtras pervenerit, nec ullibi ſaltem videre contigerit, illorum auctorum defectui ſupplere non poſſumus, cogimurque ſtare eorum fidei, quaeque ipſi delibant, referre. Egimus hucuſque de editionibus quae certa anni nota ac ſignificatione ſunt inſignitae. Agamus nunc de iis quae ea carent, ſed quae ejuſmodi ſunt, ut dubitari nequeat quin ad hebraicae typographiae primordia ac XV ſeculum ſint & ipſae referendae.

CAPUT VII.

De hebraicis editionibus ſeculi XV certam anni notam non habentibus.

I. *Rabbi Moſis maimonidis Morè nevochim ſeu doctor perplexorum in folio editio antiquiſſima abſque anno & loco.* AEquum ſane erat ut celebre hoc maimonidis opus, quod

(a) בראש חדש אב שנת ובאו ציון ברנ״ה .
(b) Le Long *bibl. s.* tom. I pag. 75 & II pag. 696, Wolf. t. I pag. 301 & II p. 399.

ob ſummam utilitatem tot laudibus celebrare tantoque ſtudio vertere aggreſſi ſunt chriſtiani ipſi, imprimere etiam aggrederentur judaei ſub ipſa hebraicae typographiae primordia. Ac luculenter id quidem factum eſt charactere quadrato, ſed abſque ulla anni, loci, typographi indicatione. Haec porro editio, a qua caput hoc auſpicamur, propterea-quod ceteris omnibus nobis videatur antiquior, ea omnino eſt quam Bartoloccius, le Longius ac Wolfius memorant tanquam factam in-quarto abſque loco & anno. Sed in folio potius minori ea habenda eſt, & ita deinceps ſtatuit Wolfius ipſe volumine III, ubi ex exemplari quod ex Ungeri bibliotheca acceperat, accuratiorem illius deſcriptionem ſuppeditat. Cui porro exemplari haud intelligo quare catalogus illius bibliothecae annum ſtatuerit 1476, ut Wolfius teſtatur, qui recte animadvertit nullum prorſus ejus rei argumentum ex volumine ipſo colligi poſſe. Neſcio etiam qui literarum formae Theſſalonicam referre viſae ſint Wolfio. Extat ne ullus liber eo characterum genere Theſſalonicae impreſſus? Immo vero extat ne liber ullus hebraice illic impreſſus XV ſeculo, ad quod eſt neceſſario referenda noſtra haec editio? Conſtat hinc quam immerito Proſper Marchandus Ungeri ac Wolfii conjecturas ſecutus, corruptoque catalogi anno, editionem hanc revera Theſſalonicae anno 1479 perfectam ſtatuat (*a*). Illud ſane certum videtur eam in antiquioribus ac primis ponendam eſſe, atque in iis quae annum 1480 praeceſſerunt. Cujus profecto ſententiae & eum fuiſſe video, quiſquis ille ſit, qui ungerianum indicem ſupra commemoratum contexuit. Locus incertiſſimus eſt, atque ego quidem illic veroſimilius impreſſum librum crediderim, ubi excuſi ſunt etiam abſque ulla epygraphe nachmanidis commentarii, liber aruch & reſponſiones Arisbà. Etenim ſingulae iſtae editiones eodem quadrato charactere excuſae ſunt, cum

(a) *Hiſtoire de l'origine de l'imprimérie* n. LXXI pag. 72.

hoc tamen discrimine quod posteriorum character sit major ac paullo elegantior, minor vero, rudior, antiquior sit charactere morè nevochim. Idem etiam videtur chartae genus, eadem designandarum abbreviationum ratio. Opus incipit a praefatione interpretis rabbi Samuelis tibbonidis, cujus prima dictio majoribus sed aeque rudioribus typis, ut capita omnia, exhibetur, desinitque fusiore quadam rerum quae singulis capitibus pertractantur, enumeratione.

II. *Biblia hebraica antiqua cum punctis & accentibus in folio absque loco & anno*. Quum splendidissimam rarissimamque hanc hebraicorum bibliorum editionem Parisiis vidisset le Longius in musaeo domini Boissier, ex libris Dionysii Nolin parisiensis jurisconsulti pretio redemptam, fuse ejus notas descripsit in bibliotheca sacra; non ita tamen accurate, ut in nonnullis non fuerit merito reprehensus ab Hermanno van de Wall qui integrum judaei amstelodamensis exemplar habebat ob oculos. Luculentissimum jam apud me est hujus cimelii exemplar, ex quo accuratiorem ejus notitiam hic suppeditabimus. Sacer textus literis quadratis sat elegantibus cum punctis & accentibus exaratus est, duabus columnis, nonnullis exceptis, distinctus. Wallius solum psalterium excipit cui le Longius in hac re accuratior proverbia ac Jobum addit. Addit & postrema duo voluminis folia, quod si de universa editione sumatur, falsissimum est; si de mutilo exemplari quod ipse prae manibus habebat quodque verosimilius folio 424 absolvebatur, verissimum. Itaque integra linea vel columna exhibetur prima geneseos ac Josuae pagina, canticum Mosis folio 37, canticum Debborae, postrema pagina libri judicum, tres in libris Samuelis folio 183, canticum Davidis folio 187, integri libri psalmorum, proverbiorum, Jobi, tria denique folia, videlicet 423 cum duobus sequentibus paralipomenon. Prima porro illa geneseos ac Josuae pagina ligneo quodam ornatu insignitur, qui in superiori parte venaticum canem repraesentat tres lepores insectantem

atque angelum qui buccinam clangit. Ad dexterum latus pavo ſe ſe cum faſtu efferens ſupra leporem ſtat. Paullo infra alter angelus equo inſidet; in ima vero parte vacuum quoddam ſtemma in medio reperitur, atque hinc canis cervum venatur, illinc angelus conſpicitur, non cornicen, non equo inſidens, non cornua ſonans, ut ait le Longius, ſed alteri cervo inſidens ejuſque cornua manibus arripiens. Illud autem animadverſione dignum eſt, quod ipſiſſimum hoc ornamentum ſub initium etiam extat conſtantinopolitani cujuſdam pentateuchi quem poſſideo, anno 1522 cum chaldaica paraphraſi, quinque ſacris voluminibus, ſectionibus propheticis & praecipuis rabbinorum commentariis in maximo folio editi, niſi quod longo uſu detritiſſimum in hoc pentateucho apparet. Hic ipſe ornatus iterum conſpicitur in fronte celeberrimi libri karraitici adered Eliav qui anno XI Solimani, Chriſti 1531 Conſtantinopoli etiam per Gerſonem soncinatem fuit impreſſus. Prima quaelibet librorum dictio majoribus literis ornatis exhibetur. Literae begadchefad lineola raphe non diſtinguuntur. Folia vero quae univerſim ſunt 431, poſteriore ſeu verſa folii pagina ſupra indicantur, quod ſingulariſſimum eſt, ut illud eſt quod volumen Eſther nomine libri Aſſueri indigitetur, & quod pſalmi, proverbia ac quoddamodo etiam Jobus in poëſeos ac verſuum formam diſpoſiti ſint; quod in nulla alia editione factum puto, in nulla ſane factum reperi. Explicit opus abſque ulla epygraphe; unde fallitur le Longius, ut jam animadvertit Wallius, dum ſcribit in ultimo pentateuchi quaternione qui in pariſienſi exemplari deerat, aeram editionis & impreſſionis locum deſignatum fuiſſe.

Quod ad locum attinet, judaei, inquit Wallius, volunt eum impreſſum eſſe Ulyſſipone in Luſitania. Rationes quas afferunt, ſubdit ipſe, hae ſunt: quod iiſdem literis impreſſus ſit quibus Nachmanidis libri quem omnes Ulyſſipone impreſſum eſſe tuentur, quodque extet penes eos liber continens regulas quibus uti debebant typographi hebraei in

imprimendo pentateucho, ubi perpetuo ablegentur ad codicem Ulyſſipone impreſſum in ſcribendis praecipue literis finalibus aliiſque, quae ut praeſcribuntur & allegantur, in hoc codice extant. At meo quidem judicio hallucinari videntur quammaxime qui ſic ſentiunt. Nec enim ad noſtrum hunc integrum bibliorum codicem ablegantur judaei typographi ac ſcribae, ſed ad ulyſſiponenſem pentateuchum anni 1491, qui linea raphe aſpirandas literas accurate diſtinguit, qui ſectiones & alia omnia ad accuratiſſimorum mss. ac judaicae critices leges perfectiſſime exacta exhibet, qui ab hiſpanis ſapientibus tantae apud judaeos exiſtimationis ob maſorae ſtudium ſummo ſtudio editus, correctione ac typorum elegantia ceteras omnes pentateuchi editiones longiſſime ſuperat. Jam vero ut ut accuratiſſima eſſe haec noſtra biblia facto experimento compererim, levioribus tamen nonnullis aliquando ſcatent mendis praecipue in punctis, quibus ulyſſiponenſis ille pentateuchus non ſcatet. Immo geneſeos XVI 3 typographorum oſcitantia ſex integra verba repetuntur. Character etiam eſt rudior, incomptior atque ob id antiquior. Neſcio autem qui biblia haec literis cum ulyſſiponenſi quem poſſideo, nachmanidis commentario convenire dici queant qui rabbinicis ac diverſiſſimis typis conſtat. Si ullus conjecturae locus eſt, Soncini potius edita ea putaverim ob maximam affinitatem cum iis quae anno 1488 illic edidit Abrahamus ben Chaiim piſaurenſis. Eadem namque eſt characteris, literarum, accentuum forma, eadem ruditas, idem punctorum artificium, niſi quod character in soncinenſi ſit minor ac tenuior, contra major ac craſſior in hac noſtra. Canticum Debborae in libro judicum verſuum ratione diſponitur in soncinenſi, ut diſponuntur in hac pſalmi ac proverbia. Utraque binis columnis diſtinguitur, ita tamen ut nonnullae paginae vel folia una etiam columna utrobique aliquando exhibeantur. In libro Joſue eadem prorſus ratione impreſſa extat variarum urbium regum enumeratio. Sin-

guli utriusque editionis libri eodem etiam modo absolvuntur vel nulla apposita epygraphe, vel ea sola qua liber obsignatus & completus indicatur, si unum pentateuchum excipis qui in soncinensi loci, anni ac typographi notam sistit. Eodem modo indicatur librorum medietas; idem est etiam chartae genus, ut conjicere liceat haec biblia ab eodem Abrahamo ben Chaiim, aut a soncinatibus ipsis Soncini vel paullo ante, vel paullo post editionem 1488 edita fuisse. Sed ubicunque tandem edita sint, illud certum est ea edita fuisse seculo xv, ac pretio, magnificentia, raritate, elegantia, correctione non solum cum soncinensi illa tantopere celebrata contendere, sed & eam superare. Dixi etiam raritate. Etsi enim soncinensis editio extremae raritatis nota a bibliographis omnibus insigniatur, quinque tamen vel sex ejusdem exemplaria extant quae nos superius enumeravimus, solaque Italia plura possidet soncinensis editionis exempla, quam nostrae hujus possideat orbis ipse universus. Tria enim tantummodo eaque non integra dignoscuntur, quorum alterum Parisiis, alterum Amstelodami extat. Tertium meum hoc est quod mutinensis olim judaeus (a) servabat qui a majoribus illud judaica praefectura doctrinaque illustribus haereditaverat.

III. *Rabbi Levi gersonidis commentarius in pentateuchum in folio absque anno & loco*. Duabus columnis disposita est elegans haec editio, charactere autem exarata rabbinico ejus generis, quo exaratus est commentarius hujus auctoris in Jobum anni 1477 & nofed tzufim Abrahami Leonis absque ullo etiam loco & anno editus. Sectionum ac capitum initia quadratis literis majoribus germanicae potius inflexionis exhibentur. Sub exordium praefationis a qua opus incipit, vacuum dimidiae paginae spatium relinquitur, quo prima dictio אמר ligneo ornatu vel pictis literis expressa comprehendi debebat. Quilibet liber brevi quadam auctoris epygraphe

(a) Zaccharias Padoa qui perhumaniter mihi illud ac liberalissime concessit.

explicit, qua compositionis annus & locus innuitur. Sub finem vero totius operis quod foliis constat 408, praeter consuetam illam auctoris alia habetur typographi Abrahami Conathi quam integram hic subjicimus. „ Ad gloriam tuam, Domine. Dixit Abraham Conath filius domini Salomonis Conathi felicis recordationis, promotus minimus eorum qui rabbinorum socii initiantur, multis scribens calamis absque ullo miro opere. Extollatur dominus beneplaciti qui dignum fecit me incipere & absolvere librum hunc, quem ad ejus honorem, gloriam, magnificentiam ob expositionem verborum divinae legis perficiendum curavi cum clarissimo atque in aestimandis ac magnifaciendis libris saphiris ipsis praetiosioribus celebratissimo Abrahamo Jedidià coloniensi (quem Deus servet), qui me accersiit ut socium me illi adjungerem ad faciendum hoc opus, Deo me adjuvante. Deus benignitate sua magna dignos faciat nos, ut perficiamus quod intendimus, confirmetque super nos textum illum qui scriptus est, dabit tibi secundum cor tuum & omne consilium tuum adimplebit. Ita illi placeat. „ De Abrahamo Conatho supra egimus, ubi de constantinopolitana Josiffonis editione anni 1490. Ergo ne Constantinopoli prodiisse dicemus nostrum hunc ralbagianum commentarium cum altero illo quod proxime sequitur, Leonis opere ab eo etiam edito? Incertum prorsus est. Illud tamen ex commemorata epygraphe videtur verosimilius colligi editionem hanc primum illius foetum fuisse. Eadem porro ea esse videtur cum illa absque loco & anno, quam Bartoloccius memorat tanquam extantem Romae in collegio neophitorum. Exempla haud sunt in Italia inventu difficilia, ac duo nos luculentissima possidemus, quorum alterum ad rabbi Mosem provincialem pertinebat, non obscurum judaeorum XVI seculi scriptorem, ut ex nota ejus manu descripta constat.

IV. *Rabbi Jehudae Leonis Nofed tzufim seu favorum distillatio in octavo absque anno & loco*. Itaque, ut diximus, ab

Abrahamo Conatho perfecta etiam est editio haec quae apud me extat, quaeque eodem prorsus rabbinico charactere idcirco constat, quo nuper commemoratus gersonidis commentarius in legem. Eam afferunt Scabtaeus, Bartoloccius, eosque secutus Wolfius. Scabtaeus scribit librum impressum esse Coloniae, ex pura conjectura; nam, ut Bartoloccius ac Wolfius animadvertunt, nulla habetur in eo expressa loci vel anni mentio. Addit Wolfius in dorso exemplaris quod extabat in bibliotheca Oppenheimeri, Coloniam ipsam tanquam impressionis locum designatam fuisse, quod recentiorem quemdam fecisse non dubito, Scabtaei auctoritate permotum. Liber ab opere ipso statim incipit, praemisso tamen titulo ac nonnullis versibus, quibus illius argumentum & auctor innuitur. Absolvitur foliis 172 quadam Conathi epygraphe, ubi iterum se appellat scribentem multis calamis absque ullo opere mirabili. In ea autem de laudibus summaque libri praestantia potissimum agit typographus, qua excitatum arripuisse se illum scribit, atque exarasse calamo suo ut per eum cum multis mereretur. Hinc orationem claudit, exoptans ut ingressus libri hujus in domum possessoris sit ei ejusque filiis in augmentum benedictionis, felicitatis, vitae, subjiciensque octo versiculos quibus Deum universi celebrat librique atque auctoris laudes repetit.

V. *Rabbi Nathan filii Jechielis liber Aruch sive lexicon talmudicum absolutissimum in folio editio antiqua absque anno & loco*. De elegantissima hac editione cujus bina apud me reperiuntur exempla, profunde silent Wolfius aliique bibliographi. Ea illico ab opere ipso incipit, praemissis tamen nonnullis lineis, quibus auctoris nomen & laudes ac libri argumentum exponuntur. Character est quadratus, antiquus, idem prorsus cum eo quo exaratae sunt quae sequuntur, quaestiones ac responsiones Arisbà. Talmudicae voces quae explicantur, charactere & ipsae quadrato, sed majori exhibentur. Sub finem editionis quae 304 foliis constat, nulla

habetur peculiaris epygraphe qua annus, locus, typographus indigitetur, ſed communis illa תם ונשלם שבח לבורא עולם qua abſolutum perfectumque opus monetur laudesque Creatori ſeculi eſſe tribuendas.

VI. *Rabbi Salomonis filii Abraham filii Adered, literarum compendio vulgo dicti Arisbà, Sceelod teſcuvòd ſeu quaeſita & reſponſa in quarto editio antiqua abſque anno & loco.* Rariſſimae hujus ac praeſtantiſſimae editionis profundiſſimum etiam extat apud bibliographos ſilentium. Teſtatur quidem Wolfius vidiſſe ſe in Oppenheimeri bibliotheca editionem quandam abſque loco & anno; ſed ex titulo quem habebat ac foliorum ſumma, conſtat ab hac noſtra eſſe diverſiſſimam, ejuſque typos ad Ripam tridenti, atque ad recentiorem aetatem Wolfius ipſe retulit. Noſtra haec charactere quadrato antiquo & rudi conſtat, èodem omnino, ut diximus, cum charactere aruch. Incipit opus a quaeſtionum indice qui 13 folia occupat, praemiſſo ſub initium libri titulo תשובות שאלות לא׳רשב׳א majoribus literis expreſſo, quibus exprimuntur quoque cujuſque quaeſtionis ac reſponſionis numeri ſeu tituli. Quaeſita ac reſponſa ſunt numero 420. Abſolvitur liber foliis 160 hacque epygraphe. „ Benedictus miſericors „ qui adjuvit nos. Benedictus qui dat feſſo virtutem, & cui „ non ſunt vires, robur addit. Finitae ſunt hae reſponſio- „ nes ac quaeſtiones rabbi Salomonis filii Adered „.

VII. *Rabbi Moſis nachmanidis commentarius in pentateuchum in folio editio antiqua ſine loco & anno.* Nec Bartoloccius, nec Wolfius, nec ullus alius bibliographus memorat rariſſimam ac pulcherrimam hanc editionem. Character eſt quadratus antiquus, ejuſdem formae cum charactere quaeſtionum Arisbà & aruch, ſed minor, ſubtilior, perfectior. Titulus operis ac cujuſque libri, capitis, ſectionis initia majoribus literis exhibentur. Sub finem levitici breviſſima nota ſignificatur exemplar ex quo editio haec facta eſt, exſcriptum fuiſſe per Obadiam, Manaſſem & Biniaminum roma-

nos. Opus constat foliis 241, quorum tria postrema in meo exemplari manu suppleta sunt. Pro certe tamen haberi potest nullam peculiarem sub eorum finem anni & loci extare epygraphem. Nam ex tribus aliis editionibus quas integras possideo, vetusto hoc quadrato charactere exaratis, patet typographum qui unus idemque omnium videtur, nullam adjicere editionibus suis consuevisse. Editio integra ea loca exhibet quae in recentioribus editionibus mutilata sunt.

VIII. *Pentateuchus hebraicus absque punctis cum propheticis lectionibus in quarto majore editio antiqua absque anno & loco*. Elegantissima editio bibliographis omnibus incognita, cujus membranaceum ac nitidissimum Florentiae in bibliotheca divi Marci servatur exemplar (*a*). Duplici columna ea constat incipitque pagina versa a primo geneseos capite, cujus prima litera beth eo exhibetur ornatu quo in ulyssiponensi pentateucho. Character est luculentus, major eo quo pentateuchus sorianus anni 1490 exaratus est, & paullo minor eo quo exaratus est ulyssiponensis anni 1491. Litera vau sub initium exodi, & aleph sub initium decalogi & deuteronomii eodem omnino ornatu in utroque pentateucho, nostro scilicet ac soriano repraesentantur. Idem etiam videtur character quo sub librorum finem versuum summa innuitur, ut conjicere fere liceat in uno eodemque loco utrumque pentateuchum lucem vidisse. Sub finem capitis XVIII numerorum typographorum oscitantia quinque lineae bis impressae extant, quae in commemorato exemplari abrasae sunt. Quinque Mosis libros statim excipiunt aftarod ac meghillod, sub quarum finem prolixum 44 versuum carmen reperitur, quo divina lex loquens introducitur, quoque ejus laudes, praestantia, emolumenta fusius enarrantur. Hoc porro singulari animadversione dignum est, quod binae pagi-

(a) Is in catalogo mss. codicum illius bibliothecae n. 699 recensetur, quia hucusque tanquam ms. codex habitus est.

nae quae Mosis canticum in sectione בשלח complectuntur, eleganti quodam ornatu decorantur qui varias aves & animalia repraesentat. Ad calcem librorum Mosis & v voluminum impressa conspicitur quaedam erecti leonis imago quae extat etiam in editione orach chaiim anni 1485. Haec de rara hac editione quae foliis constat 190, cujusque reliquiae servantur etiam Romae in bibliotheca eminentissimi Zeladae.

IX. *Rabbi Josephi Albo Sefer ikkarim seu liber fundamentorum in quarto editio antiqua sine loco & anno*. Praeter soncinensem editionem anni 1486 quam supra retulimus, ariminensem anni 1522 memorant auctores, quam vidisse se in Oppenheimeri bibliotheca testatur Wolfius. Beughemius, Orlandius ac Prosper Marchand utramque hanc confundentes tertiam quamdam effecerunt Arimini perfectam anno 1486 per soncinatem. Scabtaeus ariminensis editionis annum non notat. Diversa omnino commemoratisque bibliographis incognita habenda est editio quam illustramus, quae absque ulla prorsus sive anni sive loci indicatione perfecta est. Incipit ab auctoris praefatione cujus prima dictio majusculis ornatis literis exprimitur, alio rursus ornatu circum decorata qui hinc inde duos lepores repraesentat. Character operis est rabbinicus, sed tituli sectionum & capitum literis quadratis majoribus exhibentur. Sub finem editionis quae folia 148 complectitur, Deum celebrat typographus qui adjuvit eum, ut librum hunc inciperet & perficeret. Maximam quoque editionis correctionem atque utilitatem praedicat, sicque claudit epygraphem: *dixi ego typographus Soncinas. Laus Deo creatori universi* (a). Editio integra est quoad caput xxv & xxvi tertiae partis, sed duo folia quae ea complectuntur, in meo exemplari sublata sunt.

X. *Rabbi Kalonymi Even bochen seu lapis lydius in quarto editio antiqua absque anno & loco*. Wolfius manuscriptum op-

(a) אמרתי אני המחוקק השונציני תלב"ע.

penheimeriani exemplaris notam ſecutus editionem hanc Neapoli anno 249, Chriſti 1489 prodiiſſe ſcripſerat. At fruſtra ſe deinceps teſtatus eſt annum illum & locum in exemplari ipſo quaeſiviſſe, qui revera nullus habetur ipſius etiam Scabtaei fide qui eam memorat ſub ſola דפוס ישן ſeu antiquae editionis deſignatione. Quum tamen iiſdem typis expreſſa ſit quibus expreſſus eſt chovad allevavod Neapoli editus anno 1490, ut idem Wolfius teſtatur, hinc non omnino inanis & inſolens habenda eſt ea loci & anni conjectura quam Oppenheimeri exemplar referebat.

XI. *Maimonidis Jad achazachà ſeu manus fortis in folio majori binis voluminibus editio antiqua abſque anno & loco.* Eſt apud me editio haec quae a nullo ſcriptore memoratur. Nec enim conſtantinopolitana eſt anni 1509 quam Peringerus, Cramerus, Simonius, Wolfius recenſent, tanquam commentariis inſtructam quibus haec noſtra deſtituitur, quae charactere conſtat quadrato. Quarumlibet ſectionum vel librorum ac capitum tituli quadratis etiam literis, ſed majoribus exhibentur. Nullum in foliis numerorum veſtigium conſpicitur. Papyrus ſeculum xv redolet. Character etiam eſt rudis, & literarum compendia puncto ſuperius poſito pro vetuſtiorum editionum more exprimuntur. Ex quo fit ut veroſimilius ad xv ſeculum editionem hanc referendam eſſe opinemur. Sub finem prioris voluminis haec leguntur. „ Et abſoluti ſunt „ VII priores libri operis religionis ſanctae per manus ty- „ pographorum Salomonis filii Judae & Obadiae filii Moſis. „ Dignos nos faciat Dominus incipere & perficere alteram „ partem ſeu alios libros in vita & in pace „. Volumen alterum in calce mutilum eſt; ſed ex editionis ratione qua cum iis videtur congruere, quae quadratis literis nullaque appoſita aera factae ſunt, nullam illic epygraphem extaſſe arbitror qua annus & locus innueretur. Atque hic expliciunt editiones hebraicorum librorum quae ſive cum certa anni nota, ſive abſque ea ſeculo xv prodierunt. Mul-

tae praeterea ſunt quae ſi eruditos audimus, referendae ſunt ad typographiae primordia, ſed quae certiſſimis argumentis non ſolum tanquam dubiae, ſed tanquam falſae ac ſuppoſititiae prorſus ſunt habendae. Ne quid huic noſtrae opellae deſit, agamus jam & de his quae ſummam videntur auctoritatem fidemque conſecutae, quaeque habemus ſuppoſitionis ac praepoſterae fidei momenta, breviſſime evolvamus.

CAPUT VIII.

De hebraicorum librorum editionibus ab eruditis hucuſque relatis ad XV ſeculum, quae falſae prorſus ſunt ac ſuppoſititiae.

I. *Sulchan aruch vel Arbàh turim in folio Venetiis anno Chriſti* MCCCCXXVIII. Suppoſititiae huic editioni quam memorat la Caille in ſua typographiae hiſtoria, locum dediſſe videtur rabbi Joſephus Coën qui in annalibus regum Galliae librum ſe eo anno Venetiis impreſſum vidiſſe teſtatur. Teſtimonium hoc quod multimodis claudicare videtur, ut verbis utar clariſſimi Schultenſii, omnium primus innuit Joſephus Scaliger, qui cum diſerte Joſephi Chronicon non memoraret, de Joſepho Karo ejuſque ſulchan aruch loqui viſus eſt Boxhornio (*a*). Hinc la Caille commemoratum Joſephi librum cum impreſſo confundens, hunc eundem ſulchan aruch eo anno impreſſum fuiſſe conſcripſit quo ejus auctor, ut rectiſſime obſervat Proſper Marchand (*b*), necdum natus fuerat. De arbàh turim locutum fuiſſe Boxhor-

(a) *Théat. holland.* pag. 154 & *differt. de invent. typogr.* pag. 33.
(b) *Hiſt. de l'orig. de l'impr.* parte II pag. 65.

nium ac la Caille ſcribit Wolfius in II ac IV bibliothecae ſuae volumine, ubi ad ea quae contra attulit Malincrotius de arte typographica, lectorem provocat. At vero qua fide aſſerere poſſunt auctores illi arbàh turim eſſe eum librum quem narrat judaeus ille hiſtoricus vidiſſe ſe eo anno impreſſum? Nec enim illum deſignat auctor commemorato loco quem afferunt Marchandus ac Wolfius in monumentis typographicis, nec ſi deſignaret, veroſimilior aut credibilior res ſola ſcriptoris illius auctoritate & fide efficeretur, quam ſubleſtiſſimam eſſe quamplures poſt Scaligerum auctores animadverterunt, atque e recentioribus pater Joannes de Auguſtinis in praefatione ad notitias hiſtorico-criticas ſcriptorum venetorum. Eum de editione arbàh turim Plebiſacii in veneta ditione anno 1478 perfecta loqui forte voluiſſe non male conjicit commemoratus Marchandus, confuſa videlicet, quod haud difficile eſt, anni indicatione, confectoque ex anno 1478 anno 1428.

II. *Rabbi Salomonis ben Melek Miclal jophi ſeu perfectio pulchritudinis in quarto Amſtelodami anno* MCCCCXLV. Editionem hanc refert catalogus librorum Joannis de la Faye, ſed ut jam animadvertit Marchandus, nonniſi ridiculus hic eſt catalogi error, ſive potius inſulſa ac temeraria editoris corrigendi libido, qui quum videret a docta manu notatum judaicum annum a mundi creatione 5445, judaicae ſupputationis ignarus turpem in eo hallucinationem foveri credidit, mireque correxit in annum 1445.

III. *Rabbi Bechai Commentarius in pentateuchum in folio anno* CCVII, *Chriſti* MCCCCXLVII. Eum memorat Wolfius primo bibliothecae ſuae volumine, ut primus, inquit ipſe, judaicorum librorum videri poſſit qui typis ſit exſcriptus. Sed ſeipſum Wolfius vol. III correxit, faſſuſque eſt non ſolum fruſtra quaeſiviſſe exemplar illud quod in Oppenheimeri bibliotheca deprehendi arbitrabatur, ſed nec tam antiquam editionem ipſas pati poſſe typographiae origines.

IV. *Rabbi Mosis Kimchii Grammatica hebraica, cui titulus Maalach scevilè adahad seu iter per semitas scientiae in octavo Ortonae in Sicilia anno* MCCCCLXI, MCCCCLXXVI, MCCCCLXXXVI, MXDVI. Diversas ac tot plane celeberrimae hujus editionis epochas innuimus, quot sunt in iis designandis eruditorum sententiae. Johannes Buxtorfius omnium primus in bibliotheca rabbinica anno quo eam vulgavit, 1613 testatus est Scaligerum hujusce operis editionem possedisse in Sicilia curatam ante annos 152. Quam annorum summam nescio quam recte supputarit Scriverius, qui nostra hac kimchiana editione tanquam invicto exemplo utebatur, ut anno 1476 in Siciliam usque typographicam artem penetrasse ostenderet, gravissimam praeterea in hanc rem Heinsii ac de Dieu auctoritatem subjiciens. Rectius annum illum in annum 1461 incidere observavit Chevillerius, qui etsi primo non videatur certam Buxtorfio fidem adhibere, ea tamen subdit quae illius testimonium mirifice confirmant. Illud porro certum est, inquit ipse, quod antiquissimae extant hujus grammaticae editiones. Est earum una in bibliotheca sorbonica Ortonae perfecta in albrutiana provincia regni neapolitani anno 11 Caroli regis Siciliae ac Hierusalem, scilicet Caroli VIII regis Galliarum, qui anno 1496 respondet. In qua quidem editione quum notetur eam esse tertiam hujus libri editionem, consequens est duas alias antiquiores editiones extitisse. At vero non animadvertit clarissimus vir editionem hanc ortonensem esse ipsissimam siculam Scaligeri, ut ex catalogo bibliothecae lugduno-batavae, ubi ea nunc servatur, luculentissime constat, qui eam describit tanquam *tertiam & Ortonae in Sicilia curatam tempore Caroli imperatoris*. Annum editionis non recte a Chevillerio statui observavit jampridem Wolfius. Constat enim, inquit ipse (*a*), ex historiarum monumentis Carolum illum patre anno 1483 defuncto,

(a) *Biblioth. hebr.* tom. IV pag. 448 seg.

anno 1484 aetatis ſuae XIV Remis ſolemniter inauguratum fuiſſe. Hoc poſito annus imperii ejus ſecundus incideret in annum Chriſti 1486. Verum hi omnes auctores inſigniter hallucinantur, dum putant Carolum illum, ſub quo perfecta eſt haec editio, eſſe Carolum VIII Galliarum regem, unde & variae illae epochae quae huic editioni ſtatuuntur, ſunt ſuppoſititiae. Sane neapolitani regni dominium ea aetate tenebat Ferdinandus filius Alphonſi, ſique Carolus VIII anno 1494 ab Alexandro VI ejus regni poteſtatem ſibi tradi curavit victorque Neapolim anno ſequenti ingreſſus eſt, eam paucis poſt menſibus amiſit. Ad haec editio de qua agimus, frontem libri praeſefert ſeu ſeparatum titulum, & aeram, & locum, & typographum in eo deſignatum, quod eſt recentioris aetatis indicium. Falſum enim eſt quod aſſerit Wolfius, ea in calce notari. Ad recentiorem etiam aetatem eam referendam eſſe ex eo colligitur, quod in fronte aperte dicatur III editio. Quaenam porro ſunt binae illae editiones quae, non dicam jam annum 1461 quod ridiculum eſt, ſed annum 1476 vel 1486, vel etiam 1496 praeceſſerunt? Rectiſſime Bartoloccius ac Scabtaeus piſaurenſem editionem anni 1508 tanquam omnium primam conſtituunt. Antiquiorem nemo memorat, nemo vidit. Itaque Carolum illum eſſe Carolum V imperatorem Hiſpaniae ac Siciliae regem exiſtimo, qui regnum aſſumpſit anno 1517; ita ut editio haec quae perfecta dicitur anno ejus regni ſecundo, nonniſi anno 1519 prodierit. Eo autem veroſimilius credendum hoc eſt, quod ipſiſſimo tempore Ortonae alios libros impreſſerint typographi ſoncinates, ut conſtat ex Galatini arcanis catholicae veritatis quae illic anno praecedenti, ſcilicet 1518, edidit Hieronymus Soncinus ejuſdem familiae cum Gerſone kimchianae noſtrae grammaticae editore. Si autem commemorati auctores antiquiorem quam par eſt, editionem hanc ſtatuunt, eam nimis recentiorem facit le Longius qui, neſcio quo ductus argumento, illam nonniſi ad annum 1555 retulit.

V. *Biblia hebraica in octavo Venetiis per Gersonem anno* CCXXVI , *Christi* MCCCCLXVI . Biblia haec in mss. suis commentariis commemorat Ottius , & ex Ottio le Longius in bibliotheca sacra . Sed in anni designatione erratum esse , hancque editionem brixiensem plane esse anni 1494 a Gersone concinnatam rectissime suspicatur Wolfius . Nec enim ea aetate , nec toto seculo XV liber ullus hebraice impressus aut ulli hebraici typi Venetiis visi sunt . Nullibi etiam visa est editio illa , nec Gersonis soncinatis aetas patitur , ut ab eo profectam esse credamus qui artem hanc usque ad annum 1530 exercuit . Sat ergo Ottius , dum a Gersone in octavo confectam editionem hanc asserit , ejus se nomine brixiensem intelligere demonstrat , quae in ea forma a celebri illo typographo in veneta ditione perfecta est .

VI. *Rabbi Obadiae Sforni Or ammim seu lux populorum in quarto Bononiae anno* MCCCCLXXI . Editionis hujus mentionem facit Cornelius Beughem in typographiae incunabulis , & post eum Chevillerius , qui caeteroquin , ut dubium omne tolleretur , bibliothecam aliquam sibi indicari postulabat in qua exemplar aliquod extaret . At vero merito eam suspectam , immo suppostititiam habent Wolfius ac Saxius , qui in prolegomenis ad historiam typographico-literariam mediolanensem rectissime observat vix eo anno praelum vidisse Bononiam , Balthassare Azzoguidi primum in patria sua torcular condente , ut tradit Orlandius urbis suae monumenta diligenter scrutatus . Wolfius annum quo liber ab auctore scriptus est , a Beughemio cum anno impressionis confusum fuisse putat . Sed alia prorsus est suppositionis ratio , in eo videlicet sita quod supputatum sit tanquam annum indicans vocabulum אכ״יר quod sub finem legitur , cujus summa quum efficiat 231 , anno judaico 231 qui nostro 1471 respondet , impressum opus creditum est . At hoc literarum compendium non indicat jam annum editionis , sed *sic fiat* , *sic Deo placeat* , soletque & libris impressis , & mss. codicibus subjici .

Duobus autem punctis quae superius ponuntur, ipsa verborum abbreviatio indicatur, quam suo loco refert & explicat Buxtorfius. Annus vero quo editio haec quam possidemus, perfecta est, in epygraphe manifesto indicatur dictione עזרך duobus supra punctis ob id insignita. Itaque liber editus est Bononiae anno 297, Christi 1537, estque ipsissima bononiensis hujus anni editio quam recensent Scabtaeus & Wolfius.

VII. *Maimonidis Morè nevochim in folio Thessalonicae anno* MCCCCLXXIX. Editionem hanc memorat Prosper Marchand qui ad Ungerum ac Wolfium appellat. Perperam sane; nam Wolfius eo ipso loco ab eo commemorato animadvertit, editionem illam cui catalogus bibliothecae ungerianae annum, non 1479, sed 1476 statuebat, esse editionem vetustissimam absque loco & anno quam nos superiori capite illustravimus, nullumque prorsus haberi in volumine ipso illius aerae argumentum. Quoad locum vero non asserit Wolfius eam revera Thessalonicae prodiisse, sed quod forma literarum eam sibi urbem referre videbatur. De qua conjectura consulantur quae supra diximus.

VIII. *Rabbi Salomonis ben Adered Toledod Adam sive generationes Adami in folio Bononiae anno* MCCCCLXXVIII. Hanc editionem affert Bartoloccius (a), sed recte Wolfius eum falsum esse opinatur in supputando anno illius editionis, quae revera Bononiae prodiit anno בע'זרה 284, Christi 1524, quamque vidisse se apud Oppenheimerum testatur.

IX. *Rabbi Josephi Albo Ikkarim seu liber fundamentorum in quarto Arimini anno* MCCCCLXXXVI. Beughemius, Orlandius ac Prosper Marchand editionem hanc commemorant, quae ex una duarum editionum, soncinensis anni 1486, & ariminensis anni 1522, confusione enata est, ut supra animadvertimus.

(a) Bartol. *bibl. rabb.* tom. IV. pag. 367 & Wolf. *bibl. heb.* tom. III pag. 1020.

X. *Rabbi Bechai Commentarius in pentateuchum in folio Pisauri anno* CCXLVII, *Christi* MCCCCLXXXVII *per Gersonem soncinatem*. Editionem hanc non solum memorat Wolfius, sed eam vidisse se asserit in Oppenheimeri bibliotheca. At vero nemo eam praeter Wolfium memorat, nemo vidit. Immo nullus extat liber seculo XV Pisauri impressus, si ea biblia excipis quae incertissima fide illic dicuntur impressa anno 1494. Contra revera extat, estque etiam apud me hujus libri editio Pisauri perfecta per eundem Gersonem soncinatem anno 274, Christi 1514. Nisi ergo exemplar aliquod producatur, ex quo manifestissime constet duas diversas tanto temporis intervallo inter se dissitas ejus operis editiones Pisauri ab ipsissimo Gersone soncinate elaboratas fuisse, ego credam Wolfium in exscribenda epygraphe anni 274 postremum numerum alteri incogitanter praeposuisse, quod facillimum est, scripsisseque annum 247 qui erat revera in exemplari a se viso 274.

XI. *Mikrè* seu potius *Makrè dardeki vel lectio parvulorum in folio anno* CCXLVIII, *Christi* MCCCCLXXXVIII. Ex exemplari quod nuperrime in manus meas pervenit, emendari ac falsitatis etiam argui queunt, quae de hac editione tradunt Wolfius ac Marchandus (*a*). Lexicon utique hebraicum sistit secundum literarum seriem ita dispositum, ut quadratis majusculis typis vox explicanda exprimatur, rabbinicis vero quae statim subjicitur, illius expositio, quae non aliquando ut asserit Wolfius, sed perpetuo peregrino idiomate fit, & eo quidem italico. Constantinopolim locum esse impressionis nescio quo argumento Wolfius crediderit. Etenim ornatus quo titulus continetur, est idem cum eo, qui extat sub initium cujusque libri mosaici in neapolitana quadam quae apud me est, editione commentarii in pentateuchum Aben Esrae anno 1524 concinnata. Idem etiam omnino est character

(a) Wolf. tom. II pag. 1367, Marchand *histoire de l'orig. de l'imprim.* pag. 83.

rabbinicus, idem quadratus majuſculus, ut unum eundemque locum utrique libro aſſignare non dubitem. Quoad annum vero, exemplar meum judaei manu ſub finem ſuppletum eſt, qui epygraphem non exſcripſit. At nunquam credam eum ſola voce ר״חם fuiſſe deſignatum, quod Wolfius fidenter teſtatur. Nam ille Moſes filius Scem Tov, ex quo utraque videtur repetenda editio, ſanctae olim ulyſſiponenſis synagogae incolam ſe appellat, ſed peregrinum tum & exulem Neapoli religionis cauſſa. Itaque nonniſi poſt annum 1497 quo Ulyſſipone pulſi ſunt judaei, Neapolim appulit. Ad haec ſeparato libri titulo ac fronte editio haec noſtra manifeſtiſſime inſignitur, qua editiones omnes xv ſeculi carebant, ut ob id ſolum in maximam jure ſuſpicionem vocari poſſe videatur ſtatuta illius antiquitas, atque ad recentiorem aetatem, ad ſequentis ſcilicet ſeculi initium, amandanda.

XII. *Rabbi Abraham ben Meir aben Ezra Commentarius in pentateuchum in folio Neapoli anno* CCXLVIII, *Chriſti* MCCCCLXXXVIII. Neapolitanam editionem hujuſce commentarii ſupra innuimus, quam anno 284, Chriſti 1524, elaboravit rabbi Joſephus germanus ejuſque filius, ſummo vero ſtudio correxit rabbi Moſes filius Scem Tov ex familia ben Chaviv hiſpanus, ex incolis synagogae ſanctae ulyſſiponenſis, Neapoli tunc commorans. Sed eam recenſens caſanatenſis bibliothecae catalogus, ad xv ſeculum refert, videlicet ad annum 1488. Cujus rei ratio eſt, quod ex duabus dictionibus אוֹמר אלה quae aeram denotant, poſteriore neglecta quae punctis ſuperius perinde ac altera manifeſte inſtruitur, ſolam priorem clariſſimi illius auctores in ſupputationem aſſumpſerint.

XIII. *Tractatus talmudicus Berachod & Betzà in folio Soncini anno* CCXLIX, *Chriſti* MCCCCLXXXIX. Memoratur haec editio a Bartoloccio, a Chevillerio, a Mattairio etiam in annalibus typographicis. Sed ea ſuppoſititia prorſus eſt, ut ſuperius innuimus, ubi de illius tractatus editione anni

1484 egimus; ex eo ſcilicet enata quod illi auctores in vocabulo גמ״רא quod annum denotat, literam he quae non extat, ſuppoſuerint ac ſupputarint.

XIV. *Rabbi Meir ben Jacob Franci Maſcal akkadmonì ſeu proverbium antiquum in quarto anno* MXDI *abſque loco*. Suppoſititia certe eſt editio haec ab Orlandio allata in ſuo tractatu de origine typographiae. Libri auctor eſt rabbi Iſaac filius Salomonis Sahola, non Meir ille Francus vel Franzoni qui non eſt niſi illius editor. Ejus porro editio quam nos poſſidemus, etſi locum & annum non referat, dubitari tamen nequit quin Venetiis perfecta ſit circa dimidium ſeculi xv, quo illic florebat ille typographus, quem recte ſuſpicatur Wolfius eundem plane eſſe cum Meir ben Jacob ex filiis Franzo, cujus ſtudio Venetiis editus eſt morè nevochim anno 1555 ac reſponſa rabbènu Aſcer anno 1552. Duos alios libros ipſe poſſideo ab hoc eodem typographo editos eodem prorſus charactere eademque forma qua editus eſt noſter hic maſcal akkadmonì, librum ſcilicet cuzarì & sàhar aſcamàim. Ille dicitur editus Venetiis anno non deſignato; ſed alter aperte perfectus illic innuitur anno 307, Chriſti 1547. At vero undenam repetenda eſt Orlandii hallucinatio? Certe ex vocabulo מא״יר *Meir* quod in commemoratis omnibus editionibus punctis ſuperius inſignitur, ac ſi annum indicaret. Etenim ſi illud ſupputatur, annum dat judaicum 251, Chriſti 1491. Atqui vox illa non ad anni, ſed ad proprii editoris nominis deſignationem punctis ornatur. Itaque dubitari nequit, quin toto caelo aberret Orlandius qui editionem hanc ad xv ſeculum retulit.

XV. *Biblia hebraica Venetiis anno* MXDI *per Bombergium*. Suppoſititiis editionibus hanc accenſendam eſſe quam protulit Hodius in ſuo tractatu de textibus originalibus, ſat recte animadverterunt Wolfius ac Fabricy (*a*). Prima enim edi-

(a) Wolf. *bibl. heb.* t. II p. 365, 366. Fabr. *des titres primit. de la rév.* t. II p. 385.

tio bombergiana, inquit Wolfius, facta est anno 1518, & ipse Bombergius literas hebraeas post annum 1515 a Felice pratensi didicit, quod ex praefatione ad biblia anni 1518 patet.

XVI. *Pirkè seu capita rabbi Eliezeris in quarto Constantinopoli anno* CCLII, *Christi* MXDII. Editio haec quam Wolfius non modo memorat, sed vidisse testatur in Oppenheimeri bibliotheca, supposititia est atque ex prava annorum supputatione enata. Rarissimam enim hanc eandem editionem quam possidebat pragensis ille judaeorum doctor, quaeque Constantinopoli per Jehudam ben Josef Sason, ut Wolfius innuit, perfecta est, & ego possideo, quae sub finem aperte dicitur „ absoluta feria III (*a*) die XIII mensis Jiar anno „ MMMMMCCLXXIV ab orbe condito (Christi MDXIV) in „ civitate magnae Constantinopolis, quae est sub dominio „ domini nostri sultani Selimi cujus majestas exaltetur „. Sed Wolfius in aerae designatione solam dictionem בר"ן ad calculum revocans, alteram quae sequitur י"חד, omnino neglexit. Porro non modo ea punctis superius instruitur, ut prior illa, ex quo intelligitur eam in annorum supputationem esse necessario assumendam; verum & ex subjecto Selimi imperio ejusque aetate evidentissime patet nulla ratione posse editionem referri ad annum 1492. Patri namque Bajazetho quem imperio renunciare sibique cedere coëgit, anno tantum 1512 successit Selimus; ex quo fit, ut eo anno posterior statui debeat liber hic qui eo jam regnante lucem adspexit.

XVII. *Prophetae priores cum commentario Abarbanelis in folio Neapoli anno* CCLIII, *Christi* MXDIII, *Venetiis item ac Thessalonicae eodem anno*. Priorem illam neapolitanam editionem recenset Scabtaeus in scistè iescenim, le Longius in bibliotheca sacra, Mattairius in annalibus typographicis, Wolfius in bibliotheca hebraica & nuperrime David Clemens in bibliotheca curiosa librorum rariorum. Sed annus

(a) והיתה השלמתו יום שלישי י"ג ימים לחדש אייר ••• שנת ה' בר"ן י"חד ליצירה.

ille, ut recte jam suspicati sunt le Longius, ac casanatensis bibliothecae catalogi eruditi auctores, est annus compositionis, non editionis. Est enim auctor ipse Abarbanel qui loquitur, *perfeci anno* כי גר״ים, nec nisi eo anno Neapoli regum expositionem absolvisse tradunt diligentiores ejus vitae scriptores, anonymus judaeus in fusa praefatione ad illius commentarium in Danielem seu majienèh ajescuàh, & clarissimus Majus in Abarbanelis vita quam latinae versioni mascmìa jescuàh seu praeconis salutis subjunxit. Hinc tanquam suppostitia habenda est non solum editio thessalonicensis ejusdem anni quam memorat Orlandius, David Clemens, & ante eos index bibliothecae barberinae, sed & altera veneta quam in commemorata Abarbanelis vita attulit Majus, & de qua ipsemet statim subdit nunquam sibi contigisse eam videre. Nec porro ulli contigit, quum nemo quod sciam, praeter Majum illius mentionem faciat, nullumque esset adhuc Venetiis ejus commentarii exemplar, immo nulli typi quibus excuderetur. Itaque si annus ille compositionis est, non editionis, quonam tempore quove loco vetustum hunc Abarbanelis commentarium editum fuisse arbitramur? Certo eum nos Pisauri a soncinatibus sub initium seculi XVI editum statuimus, quippe qui iisdem omnino typis, ut jam animadverterunt commemorati casanatensis bibliothecae catalogi auctores, exaratus est, quibus exarati sunt prophetae priores anno illic 1511 cum Kimchii commentario a celeberrimis illis typographis in lucem educti.

XVIII. *Biblia hebraica Pisauri in folio, in quarto & octavo anno* MXDIV. Multi iique gravissimi auctores in hac memoranda ac recensenda editione conveniunt, quam ego falsam ac suppostitiam habere non dubito. Omnium primus habendus est Conradus Pellicanus, qui quum brixiensium bibliorum exemplar nactus esset postremo folio, ubi sola seorsim impressa conspicitur epygraphe, mutilum, Pisauri illud in ditione venetorum excusum fuisse ad illius calcem conscri-

psit. Pellicani exemplar servatur etiamnum Tiguri in bibliotheca carolina, ut jam animadvertit le Longius, illudque in manibus se olim habuisse ea nota instructum suis mihi literis testatus est cl. Brunsius. Pellicanum sequutus est Gesnerus, utrumque magna fide Buxtorfius, Buxtorfium Scriverius, Hottingerus, Chevillerius, le Longius, Wolfius, Mattairius, Carpzovius aliique qui auctoritate sua pisaurensem hanc bibliorum editionem confirmarunt, etsi nullum unquam videre illis contigerit illius exemplar nec in folio, nec in quarto, nec in octavo impressum. Itaque biblia brixiensia quae eo ipso anno eademque forma, in quarto videlicet minori vel majore octavo edita sunt, innuere auctores illos voluisse, & Pisaurum illis Brixiae loco excidisse pro certo tenendum est, constatque etiam luculentissime ex verbis ipsis quae subjiciunt, *in ditione venetorum* quae de Brixia quidem dici possunt & dicuntur reapse in editione brixiensi, de Pisauro non possunt. Non absimili ratione Chamberius & gallicae encyclopediae auctores, dum asserunt antiquiores hebraicorum bibliorum editiones esse eas quae a judaeis italis Pisauri potissimum ac Brixiae sunt editae, vel Pisauri nomine Soncinum intelligere videntur, vel de illis editionibus loquuntur quae revera Pisauri prodierunt sub initium seculi XVI.

XIX. *Rabbi Isaaci Abarbanelis Zèvach pèsach seu sacrificium paschatis in folio Constantinopoli anno* CCLVI, *Christi* MXDVI *& Monopoli eodem anno*. Constantinopolitanam editionem nominat Scabtaeus, & ex eo Wolfius in priori bibliothecae suae volumine. At volumine tertio recte animadvertit, eam non anno 256, sed 266, Christi 1506 una cum ros amanà & nachalàd avod apud Davidem & Samuelem filios Nachmias fuisse perfectam, Scabtaeum vero annum quo liber ab auctore conscriptus est, cum anno editionis confudisse. Haec porro anni nota reperiri debet sub finem nachalàd avod; nam in vetustissima editione quam possideo,

tum zèvach pèſach, tum roſc amanàh quae proculdubio conſtantinopolitana illa eſt, nulla habetur anni vel loci mentio. Recte autem aſſerit Wolfius Scabtaeum annum compoſitionis cum anno editionis confudiſſe, ut confudit etiam Majus in Abarbanelis vita. Scriptores enim omnes librum hunc Abarbanelem Monopoli eo anno compoſuiſſe conveniunt, idque Abarbanel ipſe teſtatur ſub finem. „ Hic, inquit, „ abſolvitur quod volui in hac re exponere. Sit laus Deo „ qui direxit ante me viam ſuam. Fuit autem abſolutio ejus „ in urbe Monopoli anno CCLVI (*a*) „. Quae cum ad conſtantinopolitanae etiam editionis calcem reperiantur, Scabtaeus ac Majus de editione ipſa interpretantes, alter Conſtantinopoli, Monopoli alter eo anno librum prodiiſſe ſcripſerunt.

XX. *Iſaaci Abarbanelis Commentarius in Danielem, cui titulus Mahjenè jeſcuàh ſeu fontes ſalutis in quarto Neapoli anno* MXDVII. Wolfius quem nuperrime vidimus Scabtaeum arguere compoſitionis annum cum anno editionis confundentem in zèvach pèſach, in eundem ipſe errorem lapſus eſt in altero hoc recenſendo Abarbanelis opere, quod revera eo loco & anno editum vidiſſe ſe teſtatur in Oppenheimeri bibliotheca. Suum hunc errorem ex ipſo quem refert, amſtelodamenſis editionis titulo emendare poterat clariſſimus vir, in quo liber hic, ut ipſemet obſervat, ante annos 96 primum editus dicebatur. Hic innuitur editio anni 311, Chriſti 1551, quam male Conſtantinopoli aut a ſoncinatibus Scabtaeus ac Bartoloccius, recte Ferrariae Plantavitius aliique perfectam fuiſſe ſtatuunt. Hanc ipſam editionem quam poſſideo, quamque primam eſſe hujus libri editionem auctores omnes conſentiunt, vidit proculdubio Wolfius apud Oppenheimerum, quae cum titulo careret, legeretque ſub ejus finem libri initium & perfectionem factam fuiſſe „ in „ urbe Monopoli quae eſt in Apulia regni neapolitani pro-

(a) ופה נשלם מה שרציתי לבאר בזה • • • והיתה השלמתו בעיר מונופולי שנת ר"נו •

„ vincia, die prima menſis teveth anno CCLVII (a), Chriſti „ MXDVII „, verba haec quae ſunt auctoris ejuſque compoſitionem evidenter deſignant, de libri editione interpretans, eam Neapoli revera anno 1497 exaratam credidit.

XIX. *Rabbi Biniamini Zeèv Quaeſita & reſponſa Venetiis anno* MXDIX. Inter falſas ac ſuppoſititias XV ſeculi editiones referenda ſane haec eſt, quam memorat Orlandius ac catalogus bibliothecae bodlejanae. Ipſo enim Orlandio teſte floruit hic rabbinus anno reparatae ſalutis 1534, atque ut recte obſervat rabbi Chaiim Joſeph Aſulai in recentiſſimo ſuo opere ſcem aghedolim, librum hunc nonniſi eodem anno 1534 confecit. Qui ergo editus dici poteſt Venetiis anno 1499? Venetiis equidem anno judaico 299, Chriſti 1539 editus eſt, ex cujus falſa ſupputatione factus eſt proculdubio annus ille erroneus 1499.

CAPUT IX.

De ſingulari hebraicarum editionum XV ſeculi raritate, praeſtantia & uſu.

Cum rariſſimi recepto bibliographorum canone jure habeantur quivis libri ſub ipſa typographiae incunabula impreſſi, tum maxime hebraici habendi ſunt qui multis de cauſſis videntur ceteris rariores. Pauciſſimae enim ea aetate hebraicae typographiae erectae ſunt; pauca etiam impreſſa exemplaria, quorum maxima ſtatim undique ob mss. codicum pretium a judaeis facta eſt conquiſitio, maximus ubique uſus & conſumptio, ut vix unum aut alterum, illud-

(a) והיתה התחלתו והשלמתו בעיר מנופלי ביום ראשון לחדש טבת שנת רנ״ז ·

que plerumque detritum ac mutilum ad nos pervenerit. Singulari ſane harum editionum raritati luculentiſſimum teſtimonium ad annum 1753 reddidere eruditi lipſienſes, tum le Longius, Vogtius, Wolfius, Quirinius, Burius, David Clemens aliique qui rariorum librorum indices vel bibliothecas conſarcinarunt. Mattairius ipſe qui in illuſtrandis annalibus typographicis diligentiſſimam operam poſuit, teſtatur ſe pauciſſimas vidiſſe, & pauciſſimae profecto extant in inſtructioribus ipſis principum bibliothecis. Quod praeclariſſimi viri auctoritate ſua pleniſſime confirmant, experimento ipſe didici in ea aſſequenda ſerie quam poſſidemus. In harum porro editionum laudem cedit, non modo quod rariſſimae ſint, ſed etiam quod ſint praeſtantiſſimae. Optima enim eſt papyrus, margo ampliſſimus, elegantiſſimi plerumque typi, atramentum luc idiſſimum, ut elegantia ac magnificentia quotquot deinde prodierunt, ſuperare videantur. Quam elegantiam auget etiam quammaxime membranarum nitor, quibus excuſa ſaepe reperiuntur illarum editionum exemplaria. Sed praecipua ac major earum aeſtimatio & pretium ex uſu inſigni quem praeſtant, repetendum eſt. Antiquiſſimas xv ſeculi editiones quoad uſum, magnifaciendas eſſe ac manuſcriptis codicibus aequiparandas doctiores omnes critici conſentiunt, adeo ut deſideratis jam, inquit Cavius in prolegomenis ad hiſtoriam ſcriptorum eccleſiaſticorum, pleriſque codicibus mſs., editiones iſtae non immerito mſs. vicem ſupplere poſſint. Earum auctoritatem aliis omnibus eſſe praeferendam ſtatuit Mattairius, quippe quae ſola mſs. fide nitatur. Cui quidem judicio perperam ſe oppoſuiſſe Marchandum opinor, qui contendit eas ex mendoſis depravatiſque codicibus perfectas fuiſſe, corruptaſque inſuper typographorum inſcitia qui inventum celantes, inconſultis doctioribus, ſuo tantum, ut ait Schelhornius, judicio utebantur. At vero quum exſcriptores omnes illud in primis in exſcribendis codicibus caverent, ut accuratioribus exemplaribus uterentur, qui primum factum eſſe

putat Marchandus, ut typographi artem adhuc ſuam celantes peſſimos ſibi codices exarandos inconſulti ſuſciperent? Ponamus ſuſcepiſſe. Diu ne inventum celarunt, ut inconſultis doctioribus ſuo tantum judicio uterentur? Eſſet ergo vitium nonnullarum tantummodo editionum quae primis inventae typographiae annis perfectae ſunt, immo eſſet unius editionis bibliorum quae primum inter annum 1450 & 1455 Fauſtum & Guttenbergium edidiſſe putant eruditi, ac Pariſiis tanquam mſs. venditaſſe. Nec enim conjunctis viribus ſuamque artem celantes quidquam aliud, quod ſciam, ediderunt. Quidquid vero de ea ſit, detectum deinceps artificium, typographos ipſos adauctos, doctiores conſultos, aptiſſimos in typographias correctores adſcitos editiones ipſae luculentiſſime produnt. Produnt autem potiſſimum, ſi eas Marchandus conſuluiſſet, hebraicae editiones, in quibus fere omnibus quaedam ad calcem adnexa eſt quandoque typographi, quandoque correctoris admonitio, in qua optimos ſe codices, accuratos, antiquos adhibuiſſe, atque editiones ipſas ſummo ſe ſtudio ac diligentia correxiſſe teſtantur. Quid vero, ſi non teſtarentur? Annon editiones ipſae, facta collatione, eorum praxim impenſamque ἀκρίβειαν demonſtrant? Quae quidem ejuſmodi eſt ut in multis locis, ne ipſis quidem exceptis ſacroſancti hebraici textus editionibus, hodiernae editiones ad vetuſtiores illas adigendae ſint ut emendentur ac ſuppleantur. Ex judaeis novit id perfecitque inter ceteros rabbi Jedidià Norzius, qui in criticis ſuis notis ad mantuanam hebraici textus editionem anni 1742 ſaepiſſime ad editiones xv ſeculi appellat quas vocat nomine דפוסים ישנים ſeu *vetuſtiſſimarum editionum*. Earum auctoritatem & fidem pleniſſime exaequat auctoritati & fidei ספרים מדוייקים כתיבת יד *accuratiorum codicum mſs.*, eaque ubique utitur, non ſolum ut variantes lectiones hodiernis opponat, ſed ut hodiernas ipſas lectiones prioribus emendet ac ſuppleat. Quod ipſum inter chriſtianos doctiores critici fecerunt, fa-

citque actu in celeberrima ſua exornanda hebraicorum bibliorum editione doctiſſimus Kennicott, qui inter probatiores ac praecipuos variantium fontes ampliſſimum noſtris his editionibus locum conceſſit. In qua porro re recte ſentire clariſſimos viros prudens quiſque colliget qui vetuſtiores editiones cum hodiernis conferat, cuique ex collatione ipſa vel minimum conſtet utrarumque editionum ratio. Quot in hodiernis lacunas, corruptiones, mutilationes reperiet ex vetuſtioribus ſupplendas? Magni intereſt theologi quae de nobis noſtraque religione, vel ſanctiſſimo ejus auctore ſincere ſentiunt celebriores judaeorum auctores, quaeque ipſi adverſus Meſſiae noſtri characteres ac miſſionem, vel ejus doctrinae veritatem plenis buccis emovunt, appoſite dignoſcere. Ea ne ex hodiernis, an vero ex vetuſtiſſimis editionibus hauriet? At vero notum cuique eſt loca ſingula quae Romam, Chriſtum, chriſtianos ac chriſtianam religionem reſpiciunt, in editionibus ſeculi xv, integra ac pleniſſime exhiberi, ut ab auctoribus primitus conſcripta ſunt, contra in hodiernis omnibus vel omiſſa penitus fuiſſe, vel mutilata, vel contra auctorum fidem omnino immutata. Si porro de ſacro textu loquimur, is quidem univerſim integerrimus eſt ut graviſſima momenta ſuppeditant fuſe a nobis allata in elenchtica diſquiſitione de praecipuis cauſſis ac momentis neglectae hebraicarum literarum diſciplinae. Sed ita ne integrae, ita accuratae habendae ſunt hodiernae illius editiones ut multiplex adhuc eſſe nequeat ac latius patens ſive in reſtituendis nonnullis qui deſiderantur, verſiculis, ſive in emendandis mendis atque anomaliis, ſive demum in ſuppeditandis melioris notae lectionibus vetuſtiſſimarum editionum uſus? Haec ne dici perperam videantur, ſelectiſſimis productis exemplis breviter confirmemus.

CAPUT X.

Selecta loca & exempla exhibentur, in quibus hodiernae hebraicae editiones ex veteribus editionibus seculi XV emendantur atque supplentur.

I. Paralip. III 2 hodiernae hebraici textus editiones habent השלישי לאבשלום; editio vero in folio absque loco & anno, tum & brixiensis anni 1494 legunt השלישי אבשלום. Sensus manifestissime postulat posteriorem lectionem eamque confirmant vetustissimae omnes versiones. Non ergo antiquarum editionum lectio mendosa habenda est, ut in notis ad hunc locum una Kimchii auctoritate fretus putat Norzius, sed potius hodierna quae ex sola amanuensium oscitantia videtur emanasse.

I. Paralipom. XX 4 מילידי הרפא. Editio antiqua absque anno, neapolitana anni 1487 & brixiensis in plurali legunt הרפאים, ut in accuratissimis omnibus mss., & in commentario Rasci & in meir nediv etiam legi testatur Norzius, & ut vetustiores omnes interpretes legisse videntur. LXX namque vertunt *ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν γιγάντων*, vulgatus *de genere raphaim*, syrus ܡܢ ܓܢܣܐ ܕܓܢܒܪ̈ܐ, thargum seu chaldaica Josephi paraphrasis מן בני גבריא, arabs من اولاد الجبابرة.

Isaiae III 26 in recentioribus editionibus legitur הגלינים. In editione posteriorum prophetarum anni 1486, in integris bibliis soncinensibus anni 1488, in editione brixiensi anni 1494 & antiqua absque anno & loco habetur והגלינים. Inter mss. hebraici textus codices quos possideo, unus extat

poſteriorum prophetarum anno 1255 in Hiſpania conſcriptus, cunctaſque hiſpanorum codicum qui reliquis omnibus merito hucuſque accuratiores ac rariores habiti ſunt, notas & characteres exhibens. In eo vau recentiore tantum manu deletum conſpicitur, ſed aperte legitur in ms. altero codice inſtructiſſimae hujus noſtrae regiae bibliothecae, & in correctioribus omnibus codicibus reperiri teſtatur Norzius qui tum codicum mſs., tum antiquarum editionum auctoritate ductus in ſua illud editione reſtituit.

Joſue v 1 hodiernae ipſae editiones monent in margine pro mendoſo עברנו quod eſt in textu, legendum eſſe עברם, uti legunt editio soncinenſis poſteriorum prophetarum anni 1486, editio integra bibliorum anni 1488 & brixienſis anni 1494 & uti abſque ullo variantis indicio legit commemoratus bibliothecae regiae codex. Sic III 16 kerì hodiernarum editionum monet legendum, non באדם ut eſt in textu, ſed מאדם, ut habetur plane in editione soncinenſi priorum prophetarum anni 1486 & in integris bibliis tum ſoncinenſibus anni 1488, tum brixienſibus anni 1494. Et Iſaiae x 32 mendoſa textus lectio בית a kerì corrigitur in בת, ut prorſus legitur in editione poſteriorum prophetarum anni 1486, & in commemoratis bibliis anni 1488 & 1494. Innumera ſunt vetuſtarum editionum loca quae accuratam lectionem hodierni kerì in textu ipſo exhibent. Immo vero ejuſmodi eſt illarum editionum ratio & character, ut pauciſſimas varietates notaſque maſorethicas habeant, quod demonſtrat ex antiquioribus eas melioriſque notae codicibus factas fuiſſe, in quibus communi ſapientum judicio pauciſſimae extant. Non extant etiam tot literae majuſculae, minuſculae, inverſae, ſuſpenſae quae reperiuntur in hodiernis editionibus, quaſque aliquando rejicere non dubitant judaei ipſi, mſs. codicum noſtrarumque editionum auctoritate freti. Sic Norzius Joſue xv rejicit caph majuſculum in נכחי, quod in mſs. & antiquis editionibus a ſe conſultis majuſculum non reperitur.

Josue xxi in recentioribus editionibus plerumque omiſſi ſunt celeberrimi duo verſiculi 36 & 37 'ומממה ראובן וגו. Hi reperiuntur in editione antiqua abſque anno & loco, in editione priorum prophetarum 1486, in editione bibliorum 1488 & in brixienſi anni 1494, ex quarum fide eos in editione ſua, ſed paullo aliter reſtituit Norzius.

Pſal. xvi 10 hodiernae editiones habent חסידיך. Ne contra Davidis fidem putet quiſpiam litera jod pluralem ibi numerum deſignari, ubi de uno ſancto et quidem de uno Meſſia agitur, in illarum margine monetur literam illam redundare. Editio pſalmorum anni 1477, neapolitana anni 1487, antiqua biblia abſque anno, brixienſia anni 1494, habent חסידך abſque jod, quibus accedunt bini iique ſat vetuſti mſs. codices quos poſſideo, alter agiographorum, alter pſalmorum, & reliqui omnes quotquot extant, accuratiores, quorum nonnullos protulit jam clariſſimus Kennicottus. Vetuſtae verſiones omnes ita conveniunt, ut ne minimum quidem praeſeferant variantis in hoc lectionis veſtigium.

I. Paralipom. 1 17 in hodiernis editionibus in voce ומשך habetur segol cum ſof pasùch, quod contra communem grammaticae atque accentuum rationem eſt, ut in margine notatur. In editione antiqua bibliorum abſque anno et in brixienſi extat kametz. Ita iv 15 alia habetur anomalia in editionibus recentioribus, padach ſcilicet cum ſof pasùch in vocabulo ולקנו, quum contra rectiſſime cum kametz legatur in utraque illa antiqua editione & in neapolitana agiographorum anni 1487. Atque hae variantes quae analogam accentuum lectionem exhibent, ſexcentae ac propemodum innumerae in vetuſtis noſtris editionibus reperiuntur.

In recentioribus editionibus commentarii Raſcì vel rabbi Salomonis Jarchì in cap. viii exodi habetur מכת בכורות. Quamvis porro ita legendum eſſe defendat ad hunc locum Elias miſrachì, et ita legat editio conſtantinopolitana quae apud me eſt, anni 1522 et ms. membranaceus xv ſeculi

m

codex quem possideo, eam tamen lectionem mendosissimam esse manifeste arguit ipse contextus. Editio soriana anni 1490, ulyssiponensis anni 1491, bononiensis anni 1482 legunt recte: מכת בצורת. Ita etiam legit ms. alter meus codex membranaceus priori illo antiquior, Guardiae in Lusitania an. 106, Ch. 1346 conscriptus & accuratiores reliqui omnes codices.

In editione anni 1477 kimchiani commentarii in psalmos ad psal. II 12 multa reperiet theologus fuse adversus nos disputata, quae in hodiernis omnibus editionibus frustra requiret. „ Christiani porro, inquit Kimchius, psalmum „ hunc interpretantur de eo viro (neapolitana anni 1487 „ clarius habet, ut monuimus *de Jesu*), & versiculus ex „ quo argumentum ducunt cuique innituntur, est ille: *Do-* „ *minus dixit mihi*, *filius meus es tu*. Jam vero si dicant „ tibi: ipse est filius Dei, quia aequum non est ut dicatur „ de carne & sanguine seu de puro homine, quod sit filius „ Dei (filius enim est de specie patris), quemadmodum re- „ ctum non est ut dicatur, hic equus est filius Rubenis. „ Quare is cui dixit Deus, *filius meus es tu*, debet esse „ ejusdem speciei & Deus ut ipse. Hocque eo magis quod „ subdat *ego hodie genui te*, quum genitus sit de specie ge- „ nerantis. Tu dic eis quod non convenit divinitati pater „ & filius. Nec enim separari potest divinitas aut corpus „ est ipsa divisibile, sed una est ex omni sua parte, unitate „ quae nec augetur nec minuitur, nec in partes discindi- „ tur. Rursus repone illis. Pater et filius, pater est prior „ filio tempore, & nonnisi ex virtute vel potentia patris „ filius egreditur. Quamvis autem non recte dicatur alterum „ sine altero in appellatione nominum, quia non dicitur „ pater donec non sit ei filius, nec dicitur filius si patrem „ non habeat, omnimode qui dicitur pater, quando filius „ adest, est eo prior tempore. Et si filius est Dei quem „ vos dicitis & appellatis patrem, filium, spiritum sanctum, „ pars quam appellatis patrem, prior erit parte altera quam

„ dicitis filium. Nam si semper fuerunt duo illi quasi unus, „ vocate eos fratres gemellos, non patrem & filium, nec „ generantem & genitum, quia qui generat, est certe ante „ generatum. Ad illud vero quod subditur, quod recte fi- „ lius Dei dici nequeat de re quae non est de specie divi- „ nitatis dic eis quod nos non possumus loqui de Deo be- „ nedicto nisi metaphorice, ut cum dicimus, os Domini, „ oculi Domini, aures Domini aliaque ejusmodi quae ma- „ nifesto parabolice tantum vel per metaphoram dicuntur. „ Itaque metaphorica est locutio illa, ut ea est qua inter- „ dum dicitur *filius Dei*, *filii Dei*, quia eum qui facit man- „ datum suum & legationem suam, vocat is filium, ut fi- „ lium qui operatur mandata patris. Ideo vocat etiam stel- „ las filios Dei, ut illud *& vociferabuntur omnes filii Dei*. „ Ita hominem propter supernum spiritum qui in eo est, „ quo ipse praecepta Dei operatur, & propter sapientem „ animum qui eum instruit, vocat eum Deus filium. Idcirco „ dicit *filius meus es tu*, & rursus *ego hodie genui te*. Ut „ dicit etiam *filius meus & primogenitus meus israël*, vel „ ut alibi dicitur *filii estis vos Domini Dei vestri*, item *an-* „ *non ipse est pater tuus & possessor tuus?* Et rursus *ego ero* „ *ei in patrem*, & *ipse erit mihi in filium*. Sic etiam rege- „ res eis. Deus quem vos dicitis dicere patrem filio, *po-* „ *stula a me & dabo gentes haereditatem tuam*, quomodo sic „ postulat filius a patre? Annon Deus est ut ipse, eique est „ potestas in gentes & in fines terrae, ut est patri? Rur- „ sus: ante petitionem non fuerunt ergo gentes haereditas „ ejus. Quod si ita est, minor ergo potentia erat a princi- „ pio Deus ille, & major postea factus est quod de Deo „ dici nequit. Sin vero reponent tibi quod ratione huma- „ nitatis sic loquitur, & postquam divinitas carnem assum- „ psit, ita ut ei tamquam homini dicat ut ab eo petat „ detque gentes haereditatem suam, hoc non est quia is ut „ homo non habuit ullum regnum & ullum dominium su-

„ per aliquam gentem, ſique reponant quod de fide locutus „ ſit, videlicet quod ſuſcipietis fidem ejus, en major mun„ di pars inter judaeos & turcas ejus religionem non ſuſce„ pit. Ecce docui te quid eis reſpondeas de hoc pſalmo. „ Tu vero pro ſcientia ſua addes ſecundum haec. Quod ſi „ poſtulaverint ex te ejus expoſitionem, tu expones eum „ alterutro ex duobus modis prout libuerit, vel de Davi„ de vel de Meſſia, ut ego expoſui tibi „. Haec quae paullo aliter leguntur etiam in editione neapolitana, in recentioribus editionibus deſiderantur. Immo in nonnullis, ut in veneta anni 326, Chriſti 1566, reſecata eſt etiam ipſa Kimchii interpretatio vocis *bar* de filio quae chriſtianorum cauſſae plurimum prodeſt. Multa alia eaque inſignia hujus commentarii loca in hodiernis editionibus deſiderantur, quae in utraque illa anni 1477 & 1487 integerrima habentur, ut primitus a Kimchio conſcripta ſunt. Conſulatur potiſſimum pſalmus VII 8, XIX 10, XXI 1, XXII 32, LXXII 20, LXXXVII 7, CX &c., in quibus porro locis tamquam mutila quoque atque imperfecta habenda eſt latina Janvierii verſio quae ex integris XV ſeculi editionibus perfecta non eſt.

Jam vero quod de Kimchii commentario in pſalmos diximus, id de caeteris etiam ejuſdem, poſteriorum praecipue prophetarum commentariis dicendum eſt. Iſaiae II 22 in editione ſoncinenſi anni 1486 haec adduntur quae in recentioribus omnibus editionibus deſiderantur. „ Hic etiam verſi„ culus indicat chriſtianos abnegaturos tunc fidem eorum „ & dicturos unumquemque ad fratrem ſuum, relinquite ho„ minem quem usque nunc coluiſtis, quia quem coluiſtis, „ homo eſt, non Deus ſicut putatis, ſed anima fuit in na„ ribus ejus ut in caeteris. Si porro ita eſt, cur ratio il„ lius habetur? „ In editione piſaurenſi anni 1516 nonnulla in hoc textu reſecata ſunt, relictis lacunis quae in meo exemplari ſcriptoris cujuſdam judaei manu ex ſoncinenſi expletae fuerunt. Mutilum hunc piſaurenſis editionis locum in-

ter caeteros observavit jam doctissimus Pocockius in notis ad portam Mosis, restituitque ut potuit, ex ms. codice qui abrasionem nonnullorum verborum passus fuerat. Verum cum soncinensem editionem ipse non nosceret, in qua locus hic integerrime reperitur atque ejusmodi prorsus, qualis in mss. codicibus extat, hinc falso conscripsit resecatum locum ita in impressis omnibus codicibus reperiri, ut ipse ex recentiore aliquo protulerat.

Iterum Isaiae VII 14 in editione antiqua pisaurensi, spatii, inquit Pocockius, inter בתולה & אלא relictum satis est ad indicandum judaeis deesse aliqua quae ex mss. patet fuisse כדברי התועים *secundum verba errantium*. Ita plane extat in editione soncinensi qua pisaurensis lacuna suppletur. Sexcenta hujusce generis produci possent exempla, quorum praecipua sunt Isaiae XLIX 6, LIII 12, Jerem. XXXI 31, Ezech. XI 18, XLIV 2, Joël IV 19, Amos II 6, Obadiae I 2, Mich. V 1. Haec eadem amputationum specimina peti possunt ex commentariis Jarchi, Levi gersonidis, Mosis nachmanidis, ex Machazor aliisque judaeorum libris.

Productis exemplis antiquarum editionum usum in emendandis vel supplendis hodiernis editionibus hucusque brevissime illustravimus. Qui etsi multiplex & insignis sit, latissime tamen patere videtur adhuc is quem praestant in suppeditandis, aliis variantibus optimae notae quarum non est contemnenda auctoritas. I. paralipom. XII 4 animadvertit Norzius ibi post ועל שלשים esse sof pasùch seu finem versiculi in accuratissimis omnibus mss. & in editionibus antiquis, unde & ipse in sua editione finem versiculi fecit. Extat sane finis versiculi tum in editione antiqua absque anno & loco, tum in brixiensi. Isaiae V 4 hodierni codices impressi habent בו *in eo*; editio soncinensis anni 1486 habet לו. In textu porro posterior haec syntaxis usurpatur; dicitur enim מה לעשות לכרמי. Ibidem XX 23 hodiernae editiones habent צדיקים. Utraque editio soncinensis anni 1486 & 1488 habet in singulari צדיק.

I Paralip. xxvii 6 hodierni codices legunt השלשים. Brixiensia biblia anni 1494 & antiqua absque anno & loco habent בשלשים , ut Rasci II. paralip. II 6 in hodiernis editionibus extat עמי *mecum*. In editione brixiensi & altera illa absque anno & loco deficit. Omittit etiam versio syriaca & arabica. Isaiae x 16 editiones hodiernae habent אדני צבאות. Editio antiqua absque anno, soncinensis 1488, brixiensis anni 1494, prophetae priores anni 1486 legunt יהוה צבאות, quarum editionum auctoritatem in sua secutus est Norzius. Ita etiam legit ms. meus codex hispanus anni 1255. Isaiae xxxvi 2 seq. legitur in hodiernis editionibus simul רבשקה. Editio antiqua absque anno & soncinensis 1488 seorsim ubique legunt רב שקה. Ita etiam ms. meus codex hispanus & syriaca versio & chaldaica paraphrasis. Isaiae LXIII 11 loco רועה, in editione antiqua absque anno legitur in plurali רועי, ut in commemorato ms. meo codice & in editione mantuana anni 1742. Josue demum v 14 loco אל פניו, editio soncin. 1488, priorum prophetarum 1486 & constantinopolitanus pentateuchus anni 1505 habent פניו.

CAPUT XI.

Usus editionum seculi xv in confirmanda hodiernarum lectionum veritate statuitur; ubi de integritate nuper controversa I Sam. VI 19 de bethsamitarum caede ejusque adversus incredulos divinitate.

At vero si vetustissimae editiones hodiernas corrigunt aliquando & supplent, ut selectis hucusque exemplis demonstratum est, interdum controversas & dubias illarum lectiones mire confirmant. Etenim quum saepissime contingat ut

illarum fides vocetur in dubium, inter praecipuos probandae lectionis veritatis fontes nostrae hae editiones enumerandae sunt ex antiquioribus meliorisque notae codicibus perfectae, qui aetatem non ferunt. Atque uberrimus hic usus nostro hoc seculo tum in omnibus editionibus, tum in biblicis potissimum obtinet, in quibus sexcentarum lectionum fidem & ἀυθεντίαν evertere conantur critici nonnulli intemperantissimi. Ex horum genere est cl. Houbigantius perdoctus parisiensis oratorii sacerdos, qui in splendidissima sua bibliorum editione hebraeo-latina ita temere, suo videlicet judicio merisque conjecturis suffultus, primigenium textum pessundat, invertit, emendat, ut incredibilis sit ac propemodum infinita quae ab eo proponitur & cuique volumini adtexitur, mendorum atque emendationum copia. Sed suo nos judicio suisque conjecturis gravissimam opponimus samaritani pentateuchi auctoritatem, summamque mss. codicum ac vetustissimarum versionum et editionum consensionem. Qua enim ratione fieri putat Houbigantius ut qui adhuc supersunt, samaritarum codices, gentis longa aetate a judaeis avulsae, nonnullis exceptis variantibus de quibus maxima quoque est inter eruditos contentio, in suppositititiis illis hebraici textus mendis confirmandis apprime conveniant? Conveniant mss. codices judaici longissimo seculorum ordine per orbem dispersi, etiam ipsorum karaitarum qui caeterorum judaeorum fuerunt perpetuo infensissimi hostes? Conveniant antiquiores omnes interpretationes, paucis demptis parvi momenti quae repetenda sunt vel ex punctorum vocalium defectu in codicibus quos vertebant, vel ex interpretum ipsorum licentia? Conveniant denique editiones omnes sub ipsa typographiae incunabula ex optimae notae codicibus exscriptae ac mss. ipsis optimis aequiparandae? Sed quid de his sentiat cl. criticus, sat ipse aperit, quum vel unica binorum Josuae versuum omissione constare definit editiones sacri codicis primas, scilicet venetas, ad codicum deteriorum

fidem fuiſſe factas. Etenim eoſdem verſus, subdit, bonae notae codices non omittunt. Primae ne editiones venetae? Miror ego quammaxime ſapietiſſimum hebraici textus emendatorem & maſoretham ſeptemdecim vel octodecim editiones profundiſſime ignorare, quae ſunt venetis antiquiores & accuratiores, quaeque ex Houbigantii ipſius principiis non ad deteriorum, ſed ad optimorum codicum fidem perfectae ſunt. Bonae, inquit, notae codices verſus illos retinent. Atqui retinent & eoſdem verſus, nulla excepta, editiones omnes primae & antiquae ſec. xv? Itaque vel hoc uno exemplo adverſus Houbigantium ipſum conſtat primas atque antiquiſſimas ſacri codicis editiones ad optimorum codicum fidem factas fuiſſe. Verum non unum hoc exemplum eſt quo noſtrarum editionum fides contra ipſum ſtabiliatur. Exodi xiii 11 veram lectionem eſſe ſtatuit Houbigantius יבאך, quam ſervat pentateuchus samaritanus & recentiorum editionum keri, non ובאך, ut extat in hodierno textu, quam lectionem in ſuum propterea mendorum indicem retulit. Porro pentateuchus sorianus anni 1490, ulyſſiponenſis 1491, bononiensis 1482, biblia antiqua abſque anno & loco & brixienſia priorem illam anteponendam lectionem retinent; nec dubito quin ita etiam legant ſoncinenſia 1488 & reliquae omnes editiones ſeculi xv. Ita etiam legit conſtantinopolitanus pentateuchus anni 1522, & tres qui apud me extant, mſs. membranacei codices. Et ſane in vetuſtis hiſce editionibus hodiernum kerì ſeu lectiones plerumque accuratiores quae in margine leguntur, in textu reperiri animadvertit jam cl. Fabricy, ex quo rectiſſime infert illas editiones ex codicibus multo antiquioribus fuiſſe exaratas, quam Houbigantius putet.

Nobiliſſimum hunc noſtrarum editionum uſum in firmanda controverſae lectionis veritate ſelecto I Samuelis vi 19 exemplo illuſtremus, ubi de bethſamitarum caede. Celeberrimus eſt locus hic quem quum ita verterint pleraeque verſiones

ut in ſolo pago Bethſames ſeptuaginta viri & quinquaginta virorum millia, divino numine poenas repetente graviſſimi criminis, dicantur occiſa, factum hoc fidem omnem ſuperare viſum eſt hodiernis incredulis qui eo abuſi ſunt ut divinorum librorum veritatem everterent (*a*). Sat ſe edito erudito opuſculo (*b*) eorum temeritati occurrere fidenter poſſe credidit doctiſſimus Kennicott, ſi duos mſs. codices proferret in quibus numerus ille L millium virorum deerat. Sed vix eorum codicum fidem produxerat clariſſimus vir quod ſummam in hac re codicum, editionum, verſionum conſenſionem illi objecit Volterius in quaeſtionibus encyclopedicis (*c*), qui defendendae ſacri textus veritatis ſpecie ſuam ac caeterorum incredulorum cauſſam tutabatur. Suam, inquam; ipſi enim tribuitur nequiſſimum illud *examen important de milord Bolyngbroke*, in quo ex illa ipſa bethſamitarum caede ſcripturarum divinitas oppugnatur. Non defuerunt tamen inter criticos primigeniorum fontium revelationis veritati addictos qui propoſitam Kennicotti lectionem probarent, & cl. Fabricy qui fuſe adverſus Kennicottum ejuſque variantes diſputat, adeo abeſſe ſe ſcribit ut variantes omnes arguat falſitatis, ut criticorum immo attentione digniſſimas in earum numero adeſſe candide fateatur, atque ejuſmodi potiſſimum eſſe noſtram hanc Samuelis de bethſamitis. Atque in celebratiſſimo kennicottiano opere, cujus feliciter jam abſolutum eſt vulgatumque primum volumen, adeſſe quidem variantes optimae notae ac criticorum attentione, expectatione, laudibus digniſſimas, tantum abeſt ut improbem, ut Kennicotti potius ſapientiae ac collationi multum ſemper tribuerim, ut meam & ipſe operam, ſtudium, officia in colligendis potiſſi-

n

(a) Tindal *Chriſtianity as old as the creation* pag. 154, *Dieu & les hommes* pag. 88, *Examen important* pag. 32.

(b) *Remarques crit. ſur I Sam. VI 19* in 8. Oxford 1768.

(c) *Queſtions ſur l'encyclopédie* 8. 1770. tom. III pag. 77 ſeq.

mum (*a*) praecipuis meorum codicum variantibus lubentiſſime impenderim, ut vix ſplendidius opus, vix chriſtianae reipublicae bono ad tuendam revelationis veritatem ac fontium integritatem utilius ſuſcipi potuiſſe exiſtimem, quo omnia omnium nationum, aetatum, locorum ſacri textus diſſidia uno veluti ictu exhibentur, quo naevi ſi qui irrepſerunt in primigenios codices, dignoſci queunt & emendari, quo ſacrorum librorum veritas in rebus fidei & momenti luculentiſſime adſtruitur & confirmatur. At vero ſi licet in re hac libere dicere quae ſentio, non ea eſt apud me illorum codicum fides & auctoritas, ut corruptam eo loci cenſeam ac derelinquendam hodierni textus lectionem. Qua enim aetate quove modo conſtantiſſimam hanc hebraici textus corruptionem invectam arbitrabimur? Kennicott ipſe agnoſcit eam eſſe antiquiſſimam & ſuperare verſiones omnes, graecam ipſam LXX interpretum. Nam in graeca, in chaldaica Jonathanis paraphraſi, in vetuſtioribus omnibus orientis & occidentis verſionibus ſuppoſititium illud habetur additamentum. Habetur in vetuſtiſſimis judaeorum & chriſtianorum ſcriptoribus; habetur in antiquioribus omnibus & accuratioribus codicibus, immo, binis illis exceptis, in omnibus quotquot extant. Habetur demum in univerſis editionibus tum recentioribus, tum primariis ſubque ipſa typographiae incunabula perfectis. Illam ne igitur corruptionem referemus ad prophetarum tempora, ad tempora Eſdrae ſcribae magni, ad ea ſcilicet tempora quibus correctores ipſi accuratiſſimi Deique inſpiratione freti vixerunt? Aut tam antiquam, tam conſtantem, tam generalem lectionem infirmiſſima unius vel alterius mſ. codicis deiiciet auctoritas?

Siſtet ne porro lectio haec immanem illam bethſamitarum cladem quam urgent increduli? Neutiquam ſane. Ne-

(a) Quae quidem adeo probavit doctiſſimus ille anglus ut gratiſſimo me ampliſſimoque ſuae editionis exempli beneficio cumularit.

que enim in primigenio textu dicuntur occisi LXX *viri & L millia virorum*, aut ita posterior numerus cum priori connectitur, ut connectunt fere omnes orientales & occidentales versiones. Ante חמשים אלף manifesta illic extat ellipsis. Ellipsis ne literae vau seu copulae, an vero literae caph seu comparationis? Posteriorem supplendam esse ratio ipsa suggerit. Etenim tam ingens interemptorum numerus quem prior lectio adstruit, interpretibus ipsis qui eam praetulerunt, visus est fidem excedere, syro potissimum & arabi qui illum imminuere conati sunt, vertentes non quinquaginta, sed *quinque millia* (*a*). En igitur ut verti debet locus: ויך בעם שבעים איש כחמשים אלף איש *percussitque de populo* LXX *viros qui* L *virorum millibus aequipollebant*. Ita autem interpretandum esse locum ut fiat minoris tantum numeri cum majori comparatio solique LXX ex bethsamitis dicantur revera occisi, perpetua etiam nos docet judaeorum traditio, cujus celebratiores eorum interpretes fidem faciunt, David Kimchius, Levi gersonides, Salomon Jarchius iisque antiquior, sed judaeis aeque ac christianis fere omnino ignotus rabbi Josephus Kara in inedito rarissimoque qui apud me est, sui in prophetas omnes commentarii ms. membranaceo codice. *Rabbini nostri dixerunt*: LXX *viri*, *quorum unusquisque* L *millibus aequivalebat* (*b*). *Secundum sententiam doctorum nostrorum felicis recordationis*, inquit Kimchius, LXX *viri quorum quisque cum* L *millibus poterat comparari*. Luculentius adhuc gersonides: *percussit* LXX *viros qui* לגודל מעלתם *ob insignem eorum excellentiam aequipollebant* L *millibus*. Ubi nam porro illa vetustiorum rabbinorum expositio innuitur? In tractatu talmudico sotà ubi locum hunc exponens rabbi Avhù expresse asserit LXX *tantum viros fuisse*, *sed quorum quisque*

(a) Syr. ܚܡܫܐ ܐܠܦܝܢ, arabs خمسة آلاف ❖

(b) ורבותינו אמרו שבעים איש שכל אחד ואחד שקול כחמשים אלף איש :

non mille viris, ut male locum vertit Wagenſelius, ſed *quinquaginta millibus aequivalebat* (a). Petunt ne increduli produci teſtem antiquiorem? Joſephus Flavius qui talmudiſtas nonnullorum ſeculorum aetate praeceſſit, rem & ipſe ita expoſuit ut ſolos ἑβδομήκοντα ſeu LXX ſupremi numinis indignatio interemerit. Quarum quidem comparationum & interpretationum frequentiſſima ſunt apud hebraeos exempla. Petis ne quinam ſint illi *quaſi* XXXVI *viri* qui Joſue VII dicuntur ab incolis urbis Ai interempti? R. Nehemias in talmude, auctor Medraſc, rabbi Ghedalias aliique reſpondent ſolum illic Jairum Manaſſis filium intelligendum qui robore & virtute XXX viros majoremque synedrii partem aequabat. Haec ἐν παρόδῳ ad tuendam hujus loci integritatem & veritatem. Sed ſat de hebraicae typographiae origine ac primitiis, ſeu hebraicis ſec. XV editionibus earumque raritate, praeſtantia & uſu commentati ſumus. Finem jam diſquiſitioni huic noſtrae hiſtorico-criticae imponimus.

(a) *Sotà gem.* cap. VII ap. Wagenſ. excerp. XV pag. 745 ע׳ איש הוי׃

